



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Caput III. De contractibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42561

CAPUT III.

De Contractibus.

D V B I V M I.

Quid in genere sit Contractus?

Resp. Est pactum sive consensus duorum,²⁰ 578
 quo scienter, liberè, & legitimè uterque se
 vicissim, vel minimùm saltem una pars se alteri
 acceptanti obligat, quocunque signo externo²⁰ 702
 id fiat: ùt v. g. in contractu mutui, ex una parte
 mutuans se obligat non repetere mutuum an-
 te certum tempus; ex altera parte mutuatarius
 se obligat tunc illud reddere, & sic de aliis. In-
 promissione autem vel donatione absoluta,
 una pars tantùm obligatur post alterius acce-
 ptationem. *Unde resolvuntur Casus sequentes:*

I. Si alteri promisisti aut donasti interiùs²⁰ n. 608.
 tantùm; aut si externo signo quidem, alter au-^{654.}
 tem non acceptavit, non fuit contractus, nec^{656.}
 obligaris.

II. Invalidus est contractus, si contrahentes²⁰ 666
 sint inhabiles ad contrahendum, vel si jus posi-
 tivum resistat. V. Less. l. 2. c. 17. d. 8.

III. Item si materia contractùs sit illicita, ùt si²⁰ 685
 sit peccatum; vel illegitima, ùt si fur vendat rem
 alienam.

IV. Item si contractus sit factus vi, dolo, vel²⁰
 errore versante circa rei substantiam; v. g. ace-²⁰
 tum pro vino, vitrum pro gemma vendidisti.²⁰

V. Non est invalidus contractus, (et si alii
 quando ob injuriam possit rescindi) si error, ve
 dolus interveniat circa qualitatem, aut circum
 stantiam accidentalem; v. g. emisti vinum Mo
 sellanum, putans esse Rhenanum; nisi forte in
 tentio contrahentis fuerit conditionata, non
 obligandi se, nisi existente tali qualitate, aut
 circumstantiâ: Qualis virtualiter fuisse censeri
 potest, si error versetur circa circumstantiam
 valde immutante in objectum, & nimis excede
 ret ejus existimationem, ut notat *Laym. l. 3. r. 1.*
c. 5.

VI. Nec est invalidus contractus, si ve onero
 sus, si ve gratuitus, ex metu licet gravi injuri
 incusso, cum adhuc simpliciter sit liber & vo
 luntarius; licet possit à judice rescindi, pro arbi
 trario metum passi. Ita communiter apud *Saxo*
d. 8. n. 4. C. Lugo d. 22. Laym. c. 6.

Excipiuntur tamen aliqui contractus, qui
 so facto sunt irriti (saltem ex jure positivo) si
 metu gravi fiant: talis est, 1. Contractus Matrimo
 nii, etiam si juramentum accesserit, ex c. *Cu*
locum, Et c. *Veniens*, de Sponsal. 2. Professio re
 ligiosa, ex c. 1. De his, quæ vi metûs ve. 3. In
 aliis quibuscumque votis: 4. Contractus don
 promissæ vel solutæ, qui in hoc sequitur nati
 ram Matrimonii, cui accessorius est, L. 21. §. 1.
 ff. Quod metûs causa. 5. Promissio vel traditio
 in rebus Ecclesiasticis, Cap. *Si quandoque*, 15. q.
 6. 6. Auctoritas tutoris per metum extorta, Leg.
 1. §. ult. ff. De auct. tutor. His addunt alii plures
 ut promissionem, & donationem gratuitam
 renuntiationem beneficii, jurisdictionem per
 metum

metum extortam, Verùm hi controvertuntur,²⁰
 ut v. Lugo d. 22. n. 115. & seqq.²⁰

VII. Non possunt contrahere, qui bonorum²⁰
 suorum administrationem non habent: quales²⁰
 ferè sunt prodigi, furiosi, filii-familias, uxores,²⁰
 Religiosi, pupilli, Minores; exceptis quibus²⁰
 dam casibus, de quibus v. Less. d. 8. & infrà hic²⁰
 c. 4. d. 1.

A D D E N D A.

Q. 102. Quomodo dividatur contractus. R. Va- 579
 riè dividi, nam, §. 1. Latissimè sumptus significat
 conventionem, quam duo vel plures ineunt aut
 dissolvunt, unde contractus in hac latissima si-
 gnificatione acceptus dividitur in contractum
 strictè, quasi contractum & distractum: *Contractus*
 strictè, est conventio facta voluntate propriâ eo-
 rum, qui postea obligantur, & definitur ab *Onna-*
te De contract. d. 1. n. 26. pactum obligans ex ju-
 stitia commutativa. *Quasi contractus* est conventio
 facta voluntate alterius, qui supplet pro volun-
 tate illius, qui postea obligabitur, uti si tutor
 contrahat pro pupillo, procurator pro principa-
 li suo &c. de quibus habetur in Instit. tit. De obli-
 gationibus, quæ quasi ex contractu. *Distractus* est con-
 ventio, quâ dissolvitur alia obligatio prioris
 contractus; estque nova conventio; quia ad vo-
 luntates, quibus factus erat contractus, debet
 advenire saltem unius voluntas, per quam dis-
 solvatur contractus. Hic agimus præcipuè de
 contractu strictè sumpto.

§. 2. Contractus alius est implicitus alius ex- 580
 plicitus: implicitus est quævis actio habens anne-
 xam obligationem justitiæ, uti acceptatio officii

Tutoris, Judicis, Medici, cui annexa est obligatio curandi negotia, judicandi secundum leges, adhibendi securiora medicamenta; explicitus, est expressa conventio ex justitia faciendi vel omitendi aliquid.

- 581 §. 3. Alius est onerosus alius lucrativus: onerosus est, per quem utrique contrahenti imponitur onus, diciturque etiam mutuus, reciprocus, respectivus. Lucrativus est, per quem solummodo uni contrahentium imponitur onus, uti est donatio acceptata, quæ solum donatorem obligat ad extradendum, donatario autem nullum imponit onus: soletque poni donatio pro regula contractuum lucrativorum, quia in omni contractu lucrativo est donatio vel quasi donatio; è contrà emptio ponitur pro regula onerosorum, quia in omni contractu oneroso est emptio vel quasi emptio, uti rectè *Onnate* d. 24. n. 29., ubi à n. 13. fusè probat contractus lucrativos esse strictè contractus, quia verè pariunt obligationem justitiæ commutativæ, quod etiam nudæ promissioni convenit, nam saltem causat exceptionem, quæ est exclusio actionis & quasi actio in foro externo; deinde saltem si vestiatur, causat veram actionem, uti statim dicitur.
- 582 §. 4. Alius fit in gratiam solius recipientis, uti mutuum; alius in gratiam solius dantis, uti depositum; alius in gratiam utriusque contrahentis; uti emptio.
- 583 §. 5. Alius dicitur bonæ fidei, alius stricti juris: bonæ fidei est, in quo, si oriatur dubium, judicatur non secundum verba expressa & ex rigore justitiæ, sed ex æquo & bono secundum præsum-

sumptam mentem contrahentium, quia nempe præsumuntur voluisse hoc, quòd homines æqui & boni in eisdem velle solent secundum leges taliter contrahentium: tales contractus sunt emptio, venditio & alii quos recenset *Justinianus Inst. tit. De actionibus*, & ad hos refertur permutatio; item contractus à Principe initi, juxta *Gl. in L. Princeps. ff. De verb. signif.* Atque de omnibus illis intelligitur Regula Juris, quòd *in contractibus bonæ fidei sit lata interpretatio, in testamentis latior, in privilegiis latissima.*

§. 6. Alius dicitur nudus, qui consistit in nuda conventionem seu pacto, uti promissio, emptio, venditio, census, cambium, locatio, conductio, sponsio, ludus, societas, affecuratio, fidejussio: alius vestitus, qui præter pactum habet aliquid, quo firmatur aut perficitur: potest autem contractus vestiri, quandoque juramento, & hoc omni contractui convenit; quandoque certis verbis, uti stipulationes, de quibus dicitur à n. 664.; quandoque scripturâ, uti emphyteusis, feudum, libellus, superficies, qui sunt per scriptum instrumentum coram notario, *L. Contractus, Cod. De fide instrum.*; quandoque vestiuntur ipsâ re, quia ad valorem vel complementum sui, requirunt traditionem rei, uti donatio, permutatio, commodatum, precarium, depositum, pignus, hypotheca: Denique quandoque vestiuntur adhæsiōne ad alium contractum, quia nempe adjiciuntur alteri contractui vestito: & de his omnibus agemus postea, potestque etiam videri *Onn. d. 2. l. 5.* In hoc autem præcipuè differunt hi contractus, quòd vestiti pariant actionem in foro externo, id est, jus in judicio perfe-

quendi hoc, quod sibi debetur, Instit. tit. De actionibus: contractus autem nudi communiter gaudent solâ exceptione sive potestate se tuendi in possessione per actionem, quæ vocatur, *prescriptis verbis*, L. *Furtigentium* §. *Sed cum nulla*. ff. De pactis. Dixi, communiter, nam in quibusdam locis etiam pariunt pro foro externo actionem, uti cum aliis notat *Fls.* t. 4. d. 2. n. 341. Potestque videri etiam *Onn.* à n. 143.

585 §. 7. Contractus, alius dicitur purus, qui fit absolutè, alius non purus; qui fit sub aliquo modo, v. g. sub conditione, uti in quæstione sequenti explicabitur.

586 §. 8. Celeberrima divisio contractûs est, in nominatum & innominatum. Nominatus est, qui habet proprium nomen, uti venditio, emptio, depositum. Innominatus, qui non habet proprium nomen, sed venit nomine generalis conventionis, pacti, commutationis &c. Possunt autem contractus innominati fieri variis modis, uti, *do, ut des; do, ut facias; facio, ut des; facio, ut facias*; L. *Naturalis*. ff. De *prescriptis verbis*. Fieri etiam possunt oppositis modis, *do, ut non facias; non facio, ut facias; facio, ut non facias* &c. *do munus, ut non exigas debitum; non exigo debitum, ut des munus; non exigo debitum, ut prome labores; laboro, ut non exigas debitum*: Possunt quoque contractus nominati misceri cum innominatis, *do tibi mille & hunc pannum, ut mihi des illam domum*, tumque censetur contractus nominatus venditionis, quia ratio pretii superat; è contrâ si superaret res, quæ non est strictè pretium, censetur innominatus: Si pretium & res videantur æqualia, censebitur partim nomi-

nominatus, partim innominatus, uti ex *Laym.* & *Tamb.* notat *Sporer* T. 6. C. 5. n. 6. Ad contractus innominatos ab aliquibus reducitur permutatio ex L. 1. ff. *De rerum permut.*; nam etiam venit nomine communi, cum omnis contractus, saltem onerosus, sit quædam permutatio unius juris vel rei cum altera: illuc reducitur etiam promissio, uti docet *Onn.* d. 2. n. 97., nam etiam venit nomine communi, cum in omni contractu sit aliqua promissio: Differentiæ autem inter contractus innominatos & nominatos præcipuè sunt sequentes, de quibus fusè *Onn.* l. 1.

1. Quod nominati, quamvis aliter vestiti non sint, causent actionem in foro externo; sunt enim nomine suo sufficienter vestiti, uti probat *Onn.* à n. 148. è contrà innominati, si non vestiantur, causant tantum exceptionem & obligationem naturalem; permutatio tamen etiam causat actionem, quia est contractus vestitus traditione: Similiter donatio sistens in terminis promissionis donandi, quamvis fortè sit contractus nudus & innominatus, tamen parit actionem; similiter promissio dotis & promissio solvendi debitum alienum, quæ omnia ex jure probat *Onn.* à n. 149.
2. Nominati plerumque sunt bonæ fidei, innominati autem stricti juris, hinc
3. Nominati habent latam interpretationem, innominati strictam.
4. Nominati non admittunt pœnitentiam, hinc si una pars suum præstitit; potest per actionem in foro externo cogere alteram, ut etiam præstet suum: è contrà in innominatis datur pœnitentia, saltem spectato jure civili, L. 36. ff. *De pactis*, & alibi apud *Onn.* n. 107. , v. g. si contraxi pretio, ut me comita-

reris Romana, si ire nolim, possum retinere pretium. Quod si pretium tradidissim, *Lugo* d. 22. n. 51. dicit me non posse primum resiliere aut repetere pretium, quia pactum esset positione rei vestitum, ideoque pareret actionem civilem, postea tamen n. 60., videtur concedere, quod possit repetere pretium, quia non petit dissolvi contractum, sed reddi pretium, quod non debebat, nisi positâ conditione viæ. *Dixi*, spectato jure civili, nam *Bald: Mol. Onn.* n. 109. *Lugo* n. 55. *Dicast.* L. 2. T. 3. n. 48. alique multi contra *Rebell.* dicunt libertatem illam resiliendi esse sublatam per jus Canonicum, tanquam contrariam obligationi secundum legem naturæ consequenti ad contractum, unde dicendum est posse resiliere tantum de jure civili permissivo, quatenus lex non dat actionem, nec cogit implere, licet positivè non approbet, nec illam fidei fractionem faciat licitam; rectè tamen notat *Dicast.* n. 53. in contractibus, qui scripturâ perficiuntur, contrahentes non censerî communiter velle se obligare, donec scriptura sit facta & subscripta, uti statuitur L. Contractus, 17. Cod. De fide instrum. 5. Metus dans causam contractui potest annullare nominatum ipso facto, saltem quandoque, uti n. 837. dicitur: è contrâ innominatus venit tantum annullandus per exceptionem, uti habetur passim in ff. & Cod., *Quod metus causa.* 6. Nominati habent actionem nominatam, v. g. actionem ex empto, ex vendito; locati, conducti, &c. innominati, licet illis, quando vestuntur, competat actio, hæc tamen generali nomine dicitur, *actio præscriptis verbis*, ff. tot. tit. De præscriptis verbis.

Q. 103. Quid notandum sit circa modos, quibus 587
sunt contractus: itemque circa obligationem conse-
quentem ex illis. R. Universaliter loquendo, con-
tractus censentur fieri eo modo, quem requirunt
leges & consuetudo loci, in quo fiunt, uti innui-
tur L. Quòd si nolit, 31. §. Quin assidua, 20. ff. De
edictio edicto, & docent omnes communiter cum
Mol. Sanch. Lugo. D. 22. n. 358. Dicast. L. 2. T. 3.
d. 1. n. 480. Circa speciales autem modos, quibus
fieri possunt, & obligationem eis respondentem,
notanda sunt sequentia.

§. 1. Contractus aliquando fit absolute sine 588
ulla qualitate adjecta, & dicitur purus; aliquan-
do fit aliquâ qualitate adjectâ, nempe sub aliquo
modo vel conditione: hæc autem est distinctio
inter modum & conditionem, quòd per mo-
dum intelligatur limitatio apposita, quæ non
suspendit contractum, sed tantum addit aliquid
pro onere vel favore unius è contrahentibus; per
conditionem autem strictè dictam intelligatur
circumstantia, per quam contractus suspendi-
tur, donec illa impleatur, & quamvis conditio
fortè existat, uti si dicam, emo equum, si sit tri-
um annorum, tamen non est obligatio standi
contractu, priusquam de existentia conditionis
constet. Dixi, per conditionem strictè dictam,
nam conditiones aliæ sunt suspensivæ, aliæ re-
solutivæ; suspensivæ sunt, quas ita intendunt
contrahentes, ut nolint esse contractum, saltem
absolute, nisi conditiones existant, ideoque in
jure dicuntur conditiones ante contractum, &
ab his contractus dicitur propriè conditionalis:
sunt tamen adhuc duplices, nam aliquæ affici-
unt contractum ipsum, & suspendunt, ne existat
nequi-

nequidem conditionatè , uti si dicam , contra-
ham tecum , si pater moriatur ; aliæ tantum affi-
ciunt executionem , & suspendunt obligatio-
nem absolutam , interim relinquunt contractum
conditionatum , uti , obligo me ad dandum , si
pater per annum supervivat. Resolutivæ sunt ,
quas ita intendunt contrahentes , ut velint ex
nunc valere contractum , simul tamen velint illa
servari , ita ut si non serventur , velint contra-
ctum resolvi seu nullum fieri , ideoque dicuntur
conditiones post contractum , uti , dono mille ,
si inde ædifices templum ; sed talis conditio po-
tius est modus , & talis contractus potius dicen-
dus est modalis quàm conditionalis. Ad digno-
scendum autem an conditio absoluta sit suspen-
siva an resolutiva vel non , dat varias regulas
Onn. D. 14. à n. 8. Vide Sanch. in Decal. l. 7. c. 5.
n. 59.

589 §. 2. Modalis contractus est , vel in diem , vel
vendo equum , sed post annum prius tradendum
vel causalis , uti dono equum , quia es nepos me-
us ; dono mille , ut ædifices templum : vel de-
monstrativus , uti vendo ex equis meis album :
vel disjunctivus seu alternativus , uti dono
equum vel bovem : vel conjunctivus , uti dono
equum & bovem : vel pœnalis , uti faciam , aut
pendam 100. aureos.

590 §. 3. Contractus purus statim obligat ex nunc
pro nunc , quoties enim in obligationibus dies non po-
nitur , presenti die debetur , nisi locus adjectus spatium
temporis inducat , L. 41. ff. De verb. oblig. & Reg. 14.
ff. De Reg. juris , quod juristæ solent his verbis si-
gnificare , quod in contractu puro dies statim ce-
dat & statim veniat , uti habetur L. 213. ff. De
verb.

verb. sign., nam cedere diem significat adesse diem, quo obligatio incipit; venire autem diem significat adesse diem, quo facienda est executio contractus, v. g. quo solvendum est, hinc si aliquis purè contraxerit, hoc ipso cessit & venit dies; si contraxerit in diem, cessit dies, sed nondum venit; si contraxerit sub conditione, neque cessit neque venit dies: quando tamen dicitur statim solvendum esse, intelligi debet moraliter, nam spatium permittitur ad minimum 10. dierum, si solvenda sit pecunia, uti cum communi *Onn. d. 12. n. 23.*, ubi à n. 38. multa disputat de tempore per contractum statuto: notatque *7lls. t. 4. d. 2. n. 363.* plerumque remitti arbitrio Judicis consideratâ qualitate debiti & debitoris aliiisque circumstantiis, uti habetur *L. Quod dicimus. ff. De solutionibus, & §. fin. Instit. De inutil. stipul.* Præsumitur autem creditor consentire dilationi, si, quando postulare posset, sponte taceat.

§. 4. Si apponatur modus vel conditio repugnans contractui, contractus est irritus, uti, dono tibi 1000, ut illis mihi emas domum; ducote in uxorem, si sequenti anno solvi possim vinculo; nam iste modus repugnat donationi, quæ debet transferre dominium in commodum donatarii, ideoque erit tantum contractus mandati; illa autem conditio repugnat essentiæ Matrimonii, quod est vinculum ex natura sua perpetuum. Quod si eidem contractui inferantur modi vel conditiones quasi oppositæ, quæ non videantur conciliari posse, oportet consideratis omnibus judicare secundum præsumptionem, quænam voluntas prævaluerit, censetur autem

contra-

contrahens semper magis voluisse pro se vel pro
 conjunctis, quàm pro extraneis contrahere, *Lugo*
n. 347. Quòd si addatur unicus modus, sed
 impossibilis, v. g. dono equum, ut illo hodie sis
 Romæ, contractus valet, quia modus non su-
 spendit contractum, ergo valet ante positionem
 modi; postea autem non potest poni modus, er-
 go nec est obligatio ponendi, sed censetur non
 appositus, *Mol. d. 208. Sanch. de Matr. L. 5. d.*
19. Onn. d. 14. n. 26. Dicast. n. 185.; valetque
 idem, si modus, qui apponitur, sit turpis, uti
 dono gladium, ut illo occidas meum hostem,
 modi enim illi adveniunt contractui jam perfe-
 cto & valido: hæc tamen intellige, nisi voluntas
 contrahentis esset restricta ad illos modos tan-
 quam ad causas finales vel conditiones, uti pau-
 lò post diceretur.

592 §. 5. Causa, à qua contractus dicitur causalis,
 vel est motiva seu finalis, vel tantùm impulsiva:
 motiva est, ob quam ponitur, & sine qua hìc &
 nunc non poneretur consensus voluntatis, ideo-
 que si hæc non subsistat, contractus est nullus:
 impulsiva est, quæ de se non erat hìc & nunc suf-
 ficiens ad obtinendum consensum, at tamen vo-
 luntatem aliunde motam magis impellebat, &
 licèt hæc non subsistat, adhuc valet contractus.
 An autem causa, quæ additur contractui, fuerit
 motiva an impulsiva, sciet solus contrahens; le-
 ges autem decernentes aliqua circa hæc, sunt
 tantùm præsumptivæ, & in foro interno cedunt
 veritati, *Nav. Sanch. alique cum Onn. n. 38.;* po-
 testque etiam videri *Dicast. à n. 188.* Generalis
 regula est, quòd in dubio, an causa apposita fue-
 rit motiva an tantùm impulsiva, censi debet
 fuisse

fuisse tantum impulsiva, quia standum est pro valore actus, & omnis dispositio interpretanda est potius ut valeat, quam ut pereat, *Menoch. de præsumpt. l. 6. præsumpt. 4. Tuschus v. Præsumptio concl. 620.* Addit *Dicast. à n. 195.* in dubio etiam præsumi causam fuisse tantum impulsivam, quando mens disponentis respiciebat favorem vel commodum illius solius, pro quo disponebat, hinc plerumque valere dispositionem factam pro Monasterio sub aliquo onere, quamvis Monasterium onus non impleat; item valere donationem factam Titio, ut emat vestem, quamvis vestem non emat &c. Ex simili præsumptione dicitur §. *Longè. 31. Inst. De legatis*, item *L. Demonstratio falsa, ff. De condit. & demonstr. & L. Sifac, 75. ff. De legatis & fideicom.*, si Testator disposuerit ex causa falsa, legatum valere, quia præsumitur tantum fuisse impulsiva, uti si Caius dicat, se Titio legare aliquid, quia negotia eius bene gessit, legatum valet, quamvis Titius negotia Caij nunquam gessisset; addunt tamen leges, aliud esse dicendum, si legasset cum conditione, si gesserit. Notat etiam rectè *Molina D. 209.* quamvis aliæ causæ adfint, quas si disponens scivisset, non ita disposuisset, non ideo invalidari dispositionem, quia hoc non attento disponit nunc secundum causas cognitatas; & idem est, quamvis non ita disposuisset, si scivisset causam impulsivam esse falsam, non enim ideo defecit præfens consensus.

§. 6. Demonstratio falsa non irritat dispositiones ultimæ voluntatis, nec contractus gratuitos, hinc si dicam, lego tibi hanc catenam inauratam, hunc agrum, qui est 100. jugerum, quamvis catena

tena foret aurea, aut ager 200. jugerum, valent dispositiones, præsumitur enim non voluisse consensum suum ad hæc alligare, cum rem ipsam designaret, & ita habetur L. *Falsa* 33. & L. *Quibus diebus*, §. *Qui dotalem*, ff. *De condit. & demon.*, docentque Juristæ & Theologi communiter cum *Onn.* n. 65. aliud est, si contractus esset onerosus, tum enim error transfret ad substantiam ob notabilem inæqualitatem pretii.

594 §. 7. Ordinariè loquendo in alternativis electio est debitoris, & satisfacit, si alterutram partem impleat, Reg. 70. *de Reg. juris* in 6., quia jura in dubio favent reis tanquam pressis obligatione, & re ipsa præsumitur esse talis voluntas contrahentium, unde si sic dicatur, solve 100. vel 80., debentur tantùm 80., quia in dubio minus est sequendum. Si tamen contractus dirigatur ad creditorem, aut colligatur esse factus in favorem ejus, optio ad hunc spectabit, uti testator dixerit, lego Titio domum vel agrum, hæres tenetur dare, quod Titius prælegerit, ipse enim disponit, ut favores amplientur, quæ omnia etiam multis legibus probat *Onn.* à n. 80. Quòd si deficiat una pars disjunctionis, manet obligatio determinatè ad alteram; L. 16. & 63. ff. *De verb. oblig.* Similiter si ille, qui ius habet eligendi, alterutrum elegerit, non potest variare, L. *Si is cui*, 19. ff. *De legatis.* 2.

595 §. 8. Circa contractus copulativos notandum, quòd omnes dispositiones pluralis numeri ad minùs debeant impleri in duobus, hinc si contractum sit, ut unus solvat alteri aliquot aureos ad minùs solvere debet duos, *Tusch.* v. *Copulativa.* concl. 1035. n. 2. Quòd si dispositio habeat

habeat, lego Cajo, Titio & Sempronio 100. aureos, dubium est, an singulis distributivè debeantur 100, ita ut hæres solvere debeat ter centenos, an tantùm 100. dividendos inter illos tres: Simile dubium est, si dicatur, ego, Titius & Cajo emimus à te 100. oves, nescitur enim, an singuli seorsim emant 100, an simul, pro quibus ambiguitatibus tollendis, si aliunde non possit haberi certitudo vel prudens conjectura, procedendum est secundùm has regulas; in dubiis minimum est sequendum; in dubiis est magis reo quàm actori favendum; item magis debitori quàm creditori, ratio est, quia leges miserrantur vicem illorùm, qui obligatione premuntur.

§. 9. Contractus conditionalis communiter effertur per unam ex his particulis, si, nisi, si non, finè hoc, casu quo, cùm, dummodo, nec aliàs, nec aliter, quando, &c., item per Ablativum absolutè positum, v. g. mortuâ conjuge Titius fit hæres &c., quamdiu autem non impletur conditio, quamvis non possit revocari talis dispositio, sed expectari debeat tempus conditionis ponendæ, sitque ad hoc non conditionalis sed absoluta obligatio, uti AA communiter tenent cum *Lugo* n. 383. *Dicast.* n. 233. *Onn. d.* 13. n. 174., tamen ante conditionem impletam contractus simpliciter non est, sed ad minimùm suspenditur, & sicuti est obligatio sub conditione, ita etiam contractus, uti habetur §. *Sub conditione*, *Instit. De verb. oblig.*; Notatque *Ills.* T. 4. d. 2. n. 367., ut obliget contractus, conditionem impleri debere in specifica forma, & non sufficere, ut æquivalenter impleatur, secundùm *L. Qui heredi*, & *L. Mevius. ff. De condit. & demonstr.*

Tom. III.

Aa

§. 10.

597 §. 10. Si conditio fit necessaria, vel cognoscatur certo eventura, uti, dono, si sol cras orietur, si antiChristus nascetur, non suspendit contractum, sed præsumitur frustra adjecta, nisi contrahens dubitasset de eventu, uti tenent omnes cum Lugo n. 336. & Dicast. à n. 215. ex L. Si pupillus, 9. §. 1. ff. De novat. L. Impossibilis 7. ff. De verb. oblig. L. In illa stipul. si Kalendis ff. ibidem, §. Conditiones, Instit. eod. tit.

598 §. 11. Si conditio fit impossibilis, idest, talis, cui natura impedimento est, quominus existat, uti, do equum, si sol cras non oriatur, contractus est nullus, §. Impossibilis 11. Instit. De inutil. stipul., L. Non solum. 31. ff. De oblig. & action. L. 7. 30. & 97. ff. De verb. oblig., ratio est, quia voluntas non potest efficaciter tendere in obligationem sub conditione, quæ apprehenditur esse impossibilis: Quando autem dicitur, quod conditio impossibilis, si non fit contra substantiam contractus, habeatur pro non adjecta, hoc tantum valet de dispositionibus, in quibus jus positivum expressè ita statuit, uti circa Matrimonia Cap. ult. De condit. apposit., & circa omnes ultimas voluntates, L. Si Mevia, 45. ff. De hæred. instit. L. Si quis. 6. ff. De condit. institutionum, de quibus intelligitur Lex 1. ibidem, ubi Ulp. ait, si impossibili conditione factam institutionem placet non vitari; quod extendit Onn. n. 134. etiam ad professionem religiosam.

599 §. 12. Si conditio fit turpis, id est, inducens ad peccatum, Jus plurimis locis apud Onn. n. 132. reddit contractum irritum; intellige, quando conditio intenditur, nam sicuti possum vovete confiteri statim, si iterum peccavero, ita possum

possum hoc per contractum promittere alteri ;
 item possum sic contrahere , si fur te spoliaverit ,
 compensabo damnum &c. ideo autem contra-
 ctus est irritus , si intendatur conditio turpis ,
 quia non potest esse obligatio ad aliquid illicitum.
 Jura autem extenduntur ad condiciones
 etiam tantum civiliter & politicè turpes , uti , si
 manseris innupta , si non feceris vel si revocave-
 ris testamentum , hæ enim condiciones in foro
 civili dicuntur esse contra bonos mores ; uti & il-
 la , si parens fuerit mortuus , quia continet vo-
 tum captandæ mortis , uti patet ex ff. tit. *Ad Se-
 natus-Cons. Maced.* Jus tamen Canonicum & Ci-
 vile statuit , ut condiciones turpes adjectæ Ma-
 trimonio vel ultimis voluntatibus , censeantur
 non adjectæ , ideoque valeant Matrimonium &
 ejusmodi dispositiones mortis causâ , uti & pro-
 fessio religiosa ; quod ita intelligendum est , non
 quòd leges suppleant consensum , hoc enim n.
 609. & 614. dicemus esse impossibile , sed quòd
 vel præsumant tales condiciones his dispositio-
 nibus seridè non adjici , eò quòd rigidè prohibe-
 antur adjici ob gravissima incommoda inde ori-
 tura , uti notat *Lugo* n. 343. ; vel quòd irritent
 talem voluntatem adjiciendi , & approbent so-
 lam voluntatem principalem se obligandi ; quod
 saltem valere potest in dispositionibus mortis
 causâ ; vel quòd præsumant disponentem putâsse
 esse possibilem , & sic fuisse constitutum , ut si
 scivisset impossibilem , non adjecisset , eò quòd
 vellet contrahere secundum leges , ideoque hanc
 voluntatem principalem prævalere : de quibus
 videri possunt plura apud *Haun.* T. 8. C. 4. cont.
 2. *Sanch.* de Matr. L. 5. D. 3. *Lugo* à n. 340. *Onn.*

à n. 135. & specialiter iterum à n. 348.

600

§. 13. Si quis pro puella sic disponat, hoc tibi relinquo, si nupseris, valet contractus, si Religionem ingrediatur, quia Religio æquivalet aliis nuptiis; neque debuit excludi, alioquin fuisset conditio turpis, quod non præsumitur, uti ex jure probat *Dicast.* n. 230., docentque etiam cum aliis plurimis *Barb. de Off. Episc. alleg.* 83. n. 27. *Beja p. 1. cas. 44. Onn.* à n. 170. aliique cum *Delbene de Imm. Eccl. c. 8. d. 21. f. 2.* Addit *Dicast.* n. 193. valere, quamvis non nubat sed maneat celebs, quia censetur voluisse, ut posset nubere, si vellet, sed quoad hoc judicari debet ex circumstantiis. Quod si addidisset, si nubas meo consanguineo, rectè dicit cum *Delb. f. 4. n. 2.* & aliis non valere, si non nubat, tum enim nuptiæ cum consanguineo fuissent causa motiva. Quod si dixerit, si non nubat, valet dispositio, si erat vidua, non enim censetur turpe, si vidua iterum non nubat, unde si nubat, non gaudebit dispositione; si autem nunquam nupserat, conditio illa, si non nubat, in jure est turpis, & cum impedit Matrimonium, censetur non apposita, secundùm antè dicta, unde valet contractus, & ipsa gaudet dispositione, quamvis nubat, quæ omnia citatis legibus probat *Dicast.* n. 229. Quod si relinquuntur 200. aurei, si nubat, & centum, si ingrediatur Religionem, de hoc dicetur à n. 1140. Plura de ejusmodi conditionibus hæreditati vel legato adjectis, vide apud *Delbene totâ sect. 4. & seqq.*

601

§. 14. Si conditio sit negativa, uti dono Titio villam, si non iverit Romam, distinguidebet, nam si sit dispositio per ultimam voluntatem,

tem, *Auth.*, cui relictum, *Cod. De indicta viduitate*: *L. Mutiane 7.*, & *L. Heres meus 79. ff. De condit. & demonst.* statuitur, ut statim valeat, atque si impleta esset conditio, attamen præstitâ cautione de restituendis omnibus, si conditio non observetur; & idem rectè censet *7lls. n. 367. de aliis contractibus circa res*, quæ ad hæredes non transferuntur, ne talis dispositio sit inutilis: è contrà si sit dispositio non ultimæ voluntatis, exspectanda est mors ejus, qui impleturus est conditionem, quâ positâ hæredes ejus rem obtinebunt, uti cum communi *Onn. n. 158. Lugo n. 376.* & colligitur ex *§. Sub condit. 4.* & *§. Si quis Instit. De verb. oblig.* Posset tamen etiam mens disponentis esse, ut tamdiu habeat, quamdiu v. g. non ibit Romam, quod aliunde debet colligi.

§. 15. Si ille, qui conditionem debuit implere, nescivit eam fuisse appositam, & juret se impleturum fuisse, si scivisset, habetur pro impleta, uti cum aliis docent *Tusch. v. conditio, Concl. 581. n. 7.* & *Onn. n. 159.*, qui cum *Mol. Sa, Rebel. & Dicast. n. 194.* idem dicunt, si conditio impleri non possit & sit dispositio ultimæ voluntatis aut alius contractus gratuitus, sic enim piè interpretamur mentem disponentis: atque idem est, si sit contractus ultimæ voluntatis vel gratuitus & per tertium stet, quominus impleatur conditio, uti habet *Onn. n. 163.* & iterum *D. 14. n. 87.*; aliud tamen censet *Onn. D. 13. n. 162.* in contractibus onerosis, in quibus quisque suum commodum quærit, hinc conditione quomodocunque deficiente censetur nolle obligationem contractûs.

603 §. 16. Si Titio promiseras villam sub conditione, & postea eandem promittas Cajo sub alia conditione, quæ prius impleatur, spectato jure naturæ dicit *Dicast.* n. 236. primam promissionem prævalere, quamvis enim posterior prius purificetur, tamen non tollitur jus prioris antecederentem acquisitum, potestque adhuc impleri prior conditio, ergo non ideo prior contractus definit.

604 §. 17. Si Titius Cajo legarit aliquid, eâ lege, ut castè vivat, & Cajo vel semel etiam occultè fornicetur, *Sanch. de Matr. L. 7. d. 91. n. 4.* dicit teneri in conscientia reddere hæredibus, quia deficiente conditione deficit voluntas testatoris: sed inquirendum est in hanc voluntatem, quæ potuit esse, ut ita viveret, ne pro non casto haberetur, unde putat *Lugo* n. 414., si maneat occultum, non ideo privandum, quia non præsumitur, quòd testator voluerit obligare ad se pro dendum, quod nimis difficile esset: & idem in simili casu docet *Mol.* d. 614. n. 4. Hinc docet etiam *Delbene* f. 8., si quid sit relictum pro virgine, posse habere illam, quæ corrupta est & habetur pro virgine. Addit f. 22. si conditio fuerit, si castè vixerit, satis esse, si per decennium castè vixerit, quamvis postea fornicetur. An autem obligatio ex contractu conditionali transeat ad hæredes creditoris, & maneat contra hæredes debitoris, si post mortem ejus impleatur conditio, videri possunt *Lugo* à n. 376. *Dicast.* à n. 237. *fls.* n. 366.

605 §. 18. Contractus conditionales, qui solo consensu perficiuntur, uti emptio, promissio, fiunt absoluti adveniente conditione, quamvis con-

consensus interim fortè revocetur, L. *Hæc venditio*, 7. ff. *De contrah. empr.*, patetque à simili in voto conditionali, quod fit absolutum & obligat adveniente conditione, licèt interim revocetur consensus: Matrimonium tamen factum sub conditione, non tenet adveniente conditione, si revocatus sit consensus, uti omnes tenent cum *Sanch. de Matr. L. 5. D. 8.* Et idem videtur dicendum de aliis contractibus, qui traditione perfici debent, *Dicast. n. 352. Lugo n. 385.*, quia nempe requirunt traditionem, quæ sine consensu nulla est; probabilius tamen videtur cum *Sanch. Lugo, Dicast.* aliisque plurimis omnes contractus conditionatos, etiam matrimonialem, fieri absolutos & perfici sine novo consensu, si conditio adveniat, & consensus prior revocatus non sit, sic enim Matrimonium perficitur inter absentes, quando unus consensit sub conditione, si alter ejus Procuratori suum consensum vicissim manifestaret, in hoc enim & aliis contractibus sufficit consensus virtualiter perseverans, ex vi cuius postea fiat traditio; & de his plura videri possunt apud AA citatos. Notat tamen *Lugo de Sacr. D. 8. n. 98.*, si primus consensus fuisset nullus, v. g. quia positus erat, cum adesset impedimentum dirimens, quamvis positus fuisset sub conditione, si dispensetur, postea non valere pro Matrimonio, nisi renovetur, quia ab initio erat nullus, ergo nequidem habitualiter perdurare poterat; sed contradicit *Dicast. de Sacr. d. 3. à n. 137.*, quamvis enim fuerit nullus pro tempore inhabilitatis, tamen non fuit nullus pro tempore habili. Videri potest *7lls. n. 368.*

§. 19. Pœna potest apponi ex consensu con-

Aa 4

trahen-

606

trahentium, quæ ideo dicitur conventionalis, & solvi debet ab illo, qui culpabiliter non servat contractum, uti cum communi *Lugo De Just. d. 22. f. 15.*; videndum tamen, ne addatur mutuo, & sic pallientur usuræ, de quo dicitur n. 897; deinde ut sit moderata, uti rectè *Bonac. & Onn. d. 8. n. 121.* Præterea secundum multos AA. apponi non potest contractui sponsalium, licet permittantur arrhæ, sed de hoc dicitur l. 6. De arrhis tamen circa alios contractus statuitur *L. Contractus, 17. Cod. De fide instrum.*, ut qui arrham dat, eam amittat, si contractu stare nolit; qui verò accipit, duplum solvat, si resiliat, nempe reddat, quod accepit, & tantundem adjiciat; notatque *Lugo d. 26. n. 10.*, arrhas communiter dari ad roborandam obligationem, ita ut non sit liberum recedere cum jactura arrhæ, nisi alia sit consuetudo. Quòd si imponatur pœna propter moram, non poterit ordinariè esse pœna notabilis, si fiat mora tantum unius vel alterius diei; addunt *Less. L. 2. c. 20. n. 134.* & *Lugo n. 399.* etiam unius septimanæ, nisi aliud postularet qualitas negotii, indigentia alterius contrahentis, vel mos patriæ; videturque probabilius, quòd ad incurrendum debitum pœnæ conventionalis pro foro conscientia non prærequiratur sententia Judicis, uti cum communiore *Less. n. 135.* *Lugo n. 406.* *Onn. n. 126.* contra multos alios. Quòd si imposta esset ratione damni emergentis vel lucri cessantis, foret in conscientia obligatio solvendi, etiam si alter non peteret; è contrà si sit purè conventionalis, non est obligatio eam solvendi, nisi alter exigat, uti habet communis contra *Navar. & alios*, quia nimis durum
vide-

videtur tales pœnas in se exequi, & si alter non exigat, censetur remittere, *Mol. Bonac.* alique plurimi cum *Onn. n. 127.* Est autem etiam probabilius, quòd satis sit exigi extrajudicialiter, nam non præsumuntur se voluisse obligare ad molestam implorationem Judicis, uti docent cum communiore *Suar. Mol. Lugo, Onn. n. 128.* contra *Sanch. d. 37. & Castrop. de leg. D. 2. p. 3.*, qui putant alterum contrahentem tantum intendisse dare alteri jus ad se cogendum per Judicem pro solvenda pœna, sed rectè monet *Less. n. 137.* attendendam esse consuetudinem, quæ videtur esse, ut solvatur, si tantum extrajudicialiter petatur. Quòd si tenebaris hoc mense solvere 4000. sub pœna centum, & non solvisti nisi 2000, teneberis in pœnam dare 50, *Mol. Onn. n. 129.*, sicuti enim divisa est quodammodo culpa, ita & dividi debet pœna. Denique circa pœnas in testamento additas, putat *Suar. de Leg. L. 5. c. 6. n. 10.* eas non esse propriè pœnas, sed conditiones, quibus non positus vitietur dispositio, fatenturque *Mol. d. 615. & Lugo n. 409.* saltem has pœnas obligare, etiam antequam quisquam exigat vel moneat, quia illi, in quorum gratiam sunt appositæ, communiter de illis nesciunt; quòd si de illis sciant & taceant, quandoque præsumi poterunt remittere: Quid autem dicendum sit, si jurasti te solvendum, videri possunt dicenda n. 727.

Q. 104. Quid notandum sit circa consensum ad valorem contractus requisitum. R. Circa hunc consensum dubitatur, 1. An debeat esse internus. 2. An in obligationem gravem. 3. An liber ab inadvertentia, ignorantia & errore circa substantiam. 4. An liber ab errore circa qualitatem. 5.

Aa 5

An

An liber à dolo. 6. An liber à metu. 7. An debeat esse plenè deliberatus. 8. An externè manifestatus. 9. An utrimque acceptatus. Et de his jam ordine dicemus.

608 §. 1. Ad valorem contractûs requiritur verus consensus internus, sive animus se obligandi, faltem implicitus, ex parte utriusque contrahentis; neque sufficit voluisse ponere verba vel signa externa, per quæ contractus fieri solet, ita *Mol. Sanch. Lugo* d. 22. n. 45. *Onn.* d. 1. n. 62. contra *Vasq. Turr. Bas. Pontium, Palav.* de Sac. à n. 90. & alios, quos sequitur *Dicast.* De Just. L. 2. T. 3. d. 1. n. 461. & iterum T. 4. dub. 4. , *Probat*ur ex L. 1. §. *Conventiones*, ff. De *pactis*, ubi sic habetur, dixit *Pedius* nullum esse pactum, nullam obligationem, quæ non habeat in se consensionem, nam & stipulatio, quæ verbis fit, si non habeat consensum, nulla est. Idem in terminis habetur L. 3. ff. De *oblig. & action.* aliisque locis apud *Onn.* suprâ, ratio autem est, 1. Quia obligatio, quæ est ex contractu, nascitur à voluntate se obligantis, ergo ubi non est voluntas se obligandi, non est obligatio, ergo cum contractus essentialiter debeat causare obligationem, si desit voluntas se obligandi, deerit essentia contractûs. 2. Ut per meipsum acquiratur dominium, requiritur voluntas acquirendi, ergo ut per meipsum dimittatur, requiretur voluntas dimittendi, & sic omnis contractus requiret voluntatem internam. 3. Si dicam me emere librum pro me, & reipsa in animo velim emere pro Petro, non emo mihi sed Petro, hinc si sim Religiosus, mentior quidem, sed non pecco contra paupertatem, neque ad hoc indigeo veniâ Superioris, ergo signum est obligationem

con-

contractus pendere à volitione interna. 4. Si ad valorem contractus sufficeret exterius fingere consensum, etiam hoc sufficeret ad valorem Matrimonii & voti, item ad confectionem Sacramentorum, quæ dici non possunt, uti dicitur suis locis; & *Dicast.* n. 472. fatetur contractum fictè celebratum ex metu injusto non esse validum, ergo idem est de aliis fictè celebratis, quòd enim consensus in uno casu poni deberet & non in alio, inde non sequitur reipsa poni consensum, ergo nec sequi obligationem. *Dixi 1.* requiri animum se obligandi, nam non requiritur animus implendi obligationem, stant enim simul, se velle obligare ad aliquid, & tamen non velle præstare illud, ad quod quis se obligat, v. g. potest quis velle statum religiosum vel sacerdotalem, & tamen nolle servare castitatem aut legere Horas. *Dixi 2.* requiri animum se obligandi, saltem implicitum, explicitus enim non requiritur, sed sufficit deliberatè & directè inire contractum, qualem communiter ineunt homines, ex quo contrahens antehac sufficienter sciverit & nunc virtualiter adhuc sciat oriri talem obligationem, hæc enim virtualis intentio sufficit ad Sacramenta & vota, ergo etiam ad contractus. *Dixi 3.* ex parte utriusque contrahentis, nam contractus debet esse conventio duarum voluntatum in aliquid, quod etiam promissioni convenit, quæ non obligat, nisi promissarius acceptet.

Obijcies. Contractus sinè consensu interno, externè tantùm initi, habentur in foro externo pro validis, ergo lex supplet consensum internum. *Conf.*, quia qui ita contraxit, ex justitia tenetur

netur præstare rem, de qua contraxit, ergo si-
gnum est validè contraxisse. R. N. conseq. forum
externum præsumit adfuisse consensum, quia
cum delicta non præsumantur, quisque cense-
tur loqui, uti sentit; quòd si Judex rem ad judi-
cet alteri, non facit supplendo consensum inter-
num, neque hoc dominium transfertur ex vi
contractus, sed per dispositionem Juris, in pec-
nam fictionis, aut per dominium altum, quod
habet Resp. in bona privatorum, quando sic
exigit bonum commune, sic autem exigit in ejus-
modi casibus, ne omnia commercia humana
fraudibus & litibus pateant. *Ad Conf.* dist. antec.
ex justitia tenetur tradere, si causarit damnum
alteri, quod aliter reparari non possit, C., si nul-
lum damnum causarit, aut hoc damnum aliter
possit reparari, N. antec. & conseq., tum enim
tenetur tradere tantum ex quadam fidelitate ob-
ligante ad conformanda facta verbis; ex justitia
tamen tenetur deponere fictionem, quia quisque
habet jus, ut qui secum contrahit, seriò contra-
hat, & non fictè, & sic mediatè tantum dici po-
test teneri ex justitia tradere, nempe priùs po-
nendo consensum internum, ex quo orietur ob-
ligatio justitiæ.

- 610 *Inst.* Saltem qui habet animum contrahendi
quamvis habeat expressum animum se non ob-
ligandi, validè contrahet, qui enim vult cau-
sam vult effectum, qui vult antecedens vult con-
sequens, qui vult formam vult consequentia ad
formam, ita *Sotus, Lop. Rodriq.* aliique. R. Vo-
lens contractum & nolens obligationem, potest
ex modo tendendi suæ voluntatis se habere di-
versimodè, 1. ita, ut primariò nolit obligatio-
nem,

nem, ideoque etiam nolit contractum; & tum non contrahitur obligatio, cum enim hanc expressè excludat, hæc volitio prævalet, & consequenter non ponitur contractus, qui essentialiter est causa obligationis: Ratio à priori est, quia quando duæ voluntates sibi oppositæ concurrunt, illa prævalet, quæ se reflectit supra alteram, & ex modo tendendi est restrictiva illius, tum enim prior volitio non admittitur, nisi sub modificatione, quam reflexa superaddit, ergo si hæc addat aliquid excludens hoc, quod essentialiter convenit priori, hæc prior est nulla. 2. Potest ita se habere, ut hic & nunc nollet obligationem, adhuc tamen velit contrahere, quamvis inducatur obligatio; & in hoc casu prævalet volitio contrahendi, adeoque inducitur obligatio. 3. Potest ita se habere, ut æqualiter tendat in contractum & non obligationem; in quo casu nec fit contractus, nec inducitur obligatio, quia voluntas tendit in aliquid impossibile, quod est contractus sine obligatione. An autem promissio externa sine animo se obligandi obliget saltem ex fidelitate, dicitur n. 777.

§. 2. Probabilius videtur, quòd ad contractum simpliciter, de quo jura loquuntur, requiratur consensus in obligationem gravem, sive intentio se obligandi graviter, quando materia est gravis, ita *Lugo*, n. 40. contra *Sanch. Henriq.* & alios; *Probat*ur, nam imprimis certum est contractum Matrimonii fore invalidum, si quis se tantum leviter vellet obligare, ergo idem dicendum est de contractu sponsalium. Similiter certum videtur, quòd contractus donationis, & mutui obliget graviter, quando res donata vel mutuata

mutuata

mutuata est gravis, nam per illos contractus translatum est dominium rei gravis, ergo esse gravis injuria hanc retrahere domino invito, ergo idem videtur dicendum de aliis contractibus. *Dixi*, ad contractum simpliciter, quia sicuti aliquis potest vovere Deo rem gravem sub obligatione levi, sic etiam poterit promittere homini; imò etiam sic posset aliquis tantum sub veniali se velle obligare per sponsalia vel per alios contractus, sed tum non essent simpliciter contractus, de quibus Jura loquuntur, quando de ejusmodi contractibus agunt, si enim quis vocatus in Judicium prætenderet se noluisse contrahere obligationem nisi levem, diceretque hic & nunc esse causam etiam levem, quæ excusaret ab ejus impletione, utique repelleretur, ergo signum est, quòd ubi materia est gravis, jura volunt contrahi obligationem gravem.

612 §. 3. Consensus ad valorem contractus requisitus debet esse liber ab inadvertentia, ignorantia & errore circa substantiam contractus; est communis & habetur L. 15. ff. *De Jurisd.* L. 11. & 41. ff. *De contrah. empt.* aliisque apud *Onn.* d. 3. n. 84. & 102. *Nec obstat*, quòd L. 14. ff. *De contrah. empt.* dicatur emptionem rei inauratæ pro aurea esse validam, nam sententia illa Ulpianus satis eliditur per alias leges; neque mirum est in jure civili inveniri sententias contrarias, cum à diversis diverso tempore sint compilatæ, nec omnes approbentur, ut patet ex correctione, quam sæpe adhibet jus Canonicum, & quandoque ipsummet Jus Civile expressè reprobatur. Ratio assertionis est, quia cum nullus sit errantis consensus, ut habetur L. 9. Cod. *De juris & facti ignor.*

ignor., deest consensus in obligationem, quæ nasci debet ex contractu circa tale objectum, voluntas enim non potest ferri in objectum incognitum, ergo non contrahitur obligatio ad tale objectum, ergo consensus talis erit nullus. Atque ex his colliguntur sequentia,

1. Si emeris vitrum pro genama, acetum pro vino &c. contractus est jure naturæ nullus, quia deest consensus in hanc substantiam. 613

2. Hic consensus non potest suppleri à Repub., imò nequidem à Deo, qui si imponat obligationem, non erit ex contractu, sed ex præcepto; & dominium transferetur per potestatem altiorē. 614

3. Infantes, dementes, ebrii, dormientes non possunt contrahere, quia libertatem talem non habent.

4. Contractus est nullus, siue ignorantia vel error fuerit vincibilis & crassus, siue invincibilis; siue juris siue facti; siue antecedens, qui dederit causam contractui, siue concomitans, incidens aut consequens, qui non dederit causam contractui; siue sit causatus ab altero contrahente, siue à quocunque alio, quia per omnes has ignorantias vel errores æqualiter fit, ut non cognoscatur substantia hujus contractus, ergo ut non sit voluntas hæc obligatio. 615

5. Si putarem tibi vendere agrum, & tu putes tibi donari, venditio & donatio est irrita, uti habetur L. *In Vendit.* 9. ff. *De contrah. empt.*, & L. *Si ego*, 18. ff. *De reb. credit.*, quia nempe erratur in specie contractus, quod pertinet ad substantiam: Si tamen putem me ex testamento debere tibi agrum, tu autem putes tibi deberi ex venditione, & ego agrum tradam, acquiris dominium, 616

nium,

nium, quia virtualiter consentimus in titulo, cum uterque agnoscat justitiam causæ, sive hæc sive illa fuerit, & ita habetur L. *Cum in Corpus*, 36. ff. *De acqu. rer. domin.*

6. Si quid emerim 20. ducatis in auro, qui hoc tempore longè plùs faciant, quàm putaverim, emptio est nulla, quia non consensi in hoc pretium, & error in pretio est in substantia, uti habetur L. *Invendit*. 9. ff. *De contrah. empt.*

617 7. Si emam vas vini putans esse vas olei, quamvis æquè libenter & eodem pretio emissem vinum, emptio est nulla, quia non habui consensum circa vinum; consensus autem conditionatus, quem habuissem, si scivissem esse vinum, non sufficit ad emptionem absolutam. *Nec jure* consensus interpretativus, uti vult *Vasq.*, cui sevet *Dicast.* L. 2. t. 3. d. 1. n. 72., nam nisi adfit legnum ejusmodi dispositionis animi, quòd vellet, si sciret esse oleum, talis consensus interpretativus non videtur sufficere ad contractum de oleo more humano faciendum. Quòd si vinum solummodo acesceret, valeret emptio, quia non esset error in substantia, uti habetur in eadem L. aliisque apud *Onn.* n. 108.

618 8. Si emam 100. oves, quarum 60. sint vendentis, 40. sint alienæ, emptio valet tantùm de 60., quia erat emptio ad mensuram, id est, ad partes, cum autem circa 40. fit error in substantia, emptio respectu harum est nulla, L. *Sed si*, 18. ff. *De contrah. empt.* Econtrà si intentio mea iret in omnes simul partes alicujus totius, v. g. in 4. equos rhedarios, si unicus sit alienus vel inutilis, tota emptio est nulla, quia erat emptio ad corpus, id est, ad totum, & non volebam nisi qua-

quadrijugum, L. Si duos, 44. ff. De contrah. empt. fit tamen etiam quandoque, ut si error circa substantiam fit in minore parte, valeat contractus, sed imminuatur pretium; si autem fit error in majore vel media parte, communiter non valet contractus, uti si statuam argenteis laminis coopertam emerem putans esse totam argenteam, L. Cum ab eo, 41. ibidem, quidquid in contrarium dicat *Ulpianus* antè cit., uti etiam notant *Mol. & Onn.* n. 114., qui tamen rectè addit in ejusmodi contractibus attendi debere ad mentem contrahentis. Quomodo autem validè emi possit statua habens in se aurum, quæ tamen in communi æstimatione hominum putabatur esse tota cuprea, dicitur n. 952.

Objicies. Ignorantia vincibilis non excusat à peccato, ergo nec ab obligatione in contractu. 2. Leges sæpe dicunt ignorantiam juris non juvare sed facti. 3. Sic dabitur occasio innumeris mendaciis & litibus, nam quisque asseret se ignorasse vel errasse circa substantiam contractus. R. ad 1. Ignorantiam etiam vincibilem excusare ab illo peccato, quod committeretur, si cognosceretur ejus malitia, quamvis non excuset à peccato affectatæ aut neglectæ ignorantia, hujus enim peccati malitia erat satis cognita: peccatum tamen ignorantia est ejusdem speciei cum peccato ignorato, quia peccatur contra idem præceptum, & contra eandem virtutem, quæ obligant ad rem præceptam & ad non exponendum se periculo omissionis illius per ignorantiam. Ad 2. Facti ignorantia juvare potest ad excusanda delicta, etiam ad impediendas obligationes contractuum; juris autem ignorantia ple-

rumque non excusat apud homines , quia ne
 præsumitur, re ipsa autem excusat apud Deum
 in foro conscientia. *Ad 3.*, Tale assertum non
 admittetur in foro externo , sed quamdiu non
 probabitur oppositum , possessio erit pro valore
 contractus , utpote initi secundum usum com-
 munem hominum vel dispositionem legum.

- 620 §. 4. Si inadvertentia , ignorantia vel error
 fit tantum circa qualitatem , non impedit con-
 sensum ad valorem contractus requisitum , L.
Aliter, 10. & L. *Alioquin*, 11. *De contrah. empt.*, do-
 centque communiter omnes cum *Onn.* d. 3. n.
 124. Ratio est , quia secundum substantiam nul-
 lum est involuntarium , sed habetur consensus
 jure naturæ requisitus , nec leges positivæ talem
 contractum irritant. *Nec obstat*, quod adsit invo-
 luntarium circa qualitatem , quia accessorium
 debet sequi principale. Tota difficultas hic est in
 discernendo , quid hic & nunc sit de substantia
 621 contractus , & quid qualitas seu tantum accidens,
 v. g. in contractu Matrimonii , sponsalium, item
 in emptione servi, persona est de substantia con-
 tractus , unde si Matrimonium vel sponsalia
 contraxi cum Titia putans esse Cajam , aut si
 servum emi Titium putans esse Cajum , contra-
 ctus est nullus , L. *Alioquin* 11. ff. *De contrah. empt.*
 docentque *Mol.* & alii cum *Onn.* n. 117. Idem est
 plerumque in contractibus gratuitis, si enim do-
 navi Petro putans esse Paulum , donatio est nul-
 la, nisi donassem , quia pauper esset , & uterque
 esset pauper , tum enim persona esset tantum ac-
 cidens : in aliis autem contractibus onerosis per-
 sona communiter etiam est tantum accidens , si
 enim vendam Petro putans me vendere Paulo ,
 venditio

venditio est valida. Quòd si conduxerim Advocatum pro lite mea, quem putavi peritum, est autem imperitus, *Onn n. 118.* rectè dicit esse errorem in substantia, adeoque contractum esse nullum, quia licèt non errarim in persona physice, erravi tamen in ea moraliter, quia contraxeram propter operam, ad quam est inhabilis, & sic persona habilis transit in objectum, in quo est error, ergo erratum est in substantia. Similiter si absens emi pannum, volens me Sacerdotem vestire, si pannus est ruber, erit error in substantia &c. Itaque universaliter loquendo, hoc debet censerì de substantia contractûs, ad quod se restringit voluntas contrahentis; è contrà hoc erit tantum qualitas vel accidens, ad quod voluntas contrahentis se non restringit, sed absolute censeatur procedere hoc non obstante, uti rectè cum communi *7lls. t. 4. d. 2. n. 354.* In dubio autem, an voluntas se ad hoc vel illud restrinxerit necne, præsumendum est ex communi usu aliorum hominum vel ex dispositione legum circa tales contractus.

Objicies. Sæpe fit, ut si qualitas fuisset cognita, 622 contractus non fuisset initus, ergo talis antecedens ignorantia qualitatis impedit obligationem contractûs. *R. N. conseq.*, inde enim tantum sequitur, quòd positâ cognitione qualitatis futura fuisset volitio, quæ impedivisset obligationem, non autem, quòd nunc fuerit aut nunc impediatur.

Inst. 1. Sponsalia rescindi possunt propter talem errorem circa qualitatem, quâ cognitâ non fuissent inita, ergo & reliqui contractus. *R. Dato anteced. n. conseq.* sponsalia enim requirunt

majorem libertatem, quia post se trahunt contractum indissolubilem & difficillimum Matrimonii. *Dixi*, dato ant., nam quod respectu alterius contractus esset qualitas, dici potest esse de substantia sponsalium, quia ex usu vel saltem ex dispositione juris censetur voluntas contrahentium ad tale aliquid esse restricta, eò quod aliàs ipsis causaretur grave & perpetuū præjudicium.

Inst. 2. Si superveniret talis qualitas, non esset obligatio servandi etiam alium contractum, quia status esset mutatus, ergo etiam non est obligatio, si præcesserit & postea detegatur. *R. N. ant.*, nam si sit mera qualitas, status substantialis erit idem, contrahens autem consensit in substantiam, non restringens ad mutationes accidentales, ergo manet consensus ad valorem requisitus; quod à posteriori probat *Lugo n. 92.*, quia aliàs nunquam posset esse securitas de valore quotidianorum contractuum, sed semper essent pericula rescindendi & litigandi, ergo necesse fuit, ut ad perpetuum valorem contractus sufficeret consensus absolutus in substantiam; contrahentium autem est prius bene considerare id, de quo contrahunt.

623 §. 5. Quamvis error circa qualitatem sit per dolum causatus à simul contrahente, non ideo vitatur consensus ad valorem contractus requisitus: est communis cum *Dicast. n. 68. & Ills. n. 355. ex L. Si dolo, Cod. De rescind. vendit. & ex L. Dolo 5. Cod. De inutil. stipulat.*, quæ leges dant jus rescindendi talem contractum ex dolo factum, ergo supponunt esse validum.

624 Circa hoc tamen notandæ sunt variæ sententiæ, quas cum Auctoribus suis fusè refert *Lugo à n.*

à n. 70. & *Onn.* à n. 153. , nam plerique dicunt talem contractum manere validum jure non tantum naturæ sed etiam positivo , oppositum autem tenent de contractibus bonæ fidei , licet admittant de contractibus stricti juris , si nempe illi contractus bonæ fidei ex voluntate contractuentium solvi possint , uti habet *Onn.D.* 2.n. 124. & pluribus d. 3. à n. 167. , Putant alii cum *Lugo* de omnibus esse dicendum , quod tantum claudicent seu irritari possint propriâ etiam auctoritate & arbitrio decepti , quamvis *Sanch.* aliique cum *Dicast.* n. 85. dicant etiam rescindi posse pro arbitrio deceptoris, eò quod contractus ex utraque aut ex neutra parte videatur debere esse validus ; sed sententia *Lugonis* est probabilior , quia decepto facta est injuria per auctorem doli , quamvis fuisset dolus parvus, inquit *Lugo* n. 142. si reipsa dederit causam contractui , ergo deceptor tenetur causata incommoda auferre , quorum unum est , si deceptus nolens obligaretur contractui , ad hunc enim obligare, esset reipsa continuare injuriam : deceptor tamen non videtur saltem sub mortali obligandus ad monendum deceptum , ut , si velit , contractum rescindat , si enim aliter compenset damnum , videtur satisfacere pro injuria , & hoc videtur velle *Lugo* à n. 108. Ratio est , quia verè adfuit consensus mutuus & absolutus , estque utilius decepto contractum valere in favorem suum & posse prohibitu rescindi, quàm ex neutra parte esse firmum ; imò *Less* ex *Cap. Dilecti* , *De empt. & vendit.* , item ex *L. 2. Cod. De rescind. Vendit.* docet, licet per dolum vel errorem concomitantem esset facta deceptio in pretio ultra dimidium , valere con-

tractum nec posse rescindi, sed tantum concedi actionem, quanto minoris. Videri possunt dicenda n. 993. Item *ffls.* à n. 355. Quod si non fit deceptio ultra dimidium, dicemus postea n. 715. & 726., quid agendum sit.

625 *Obji.* 1. L. *Eleganter*, 7. *De dolo*, dicitur, quod venditio servi ab eo dolosè obtenta sit nulla: Similiter L. 1. *Cod. De rescind. vendit.* dicitur, quod emptio malæ fidei sit irrita, & L. 3. *ff. Pro socio*, dicitur, quod societas, si dolo malo aut fraudandæ causâ coita sit, ipso jure sit nullius momenti. R. Sæpe in jure voces illæ, *nullus & nullius momenti*, idem significant quod annullandus seu annullabilis; vox autem *irritus*, idem quod irritandus seu irritabilis, uti rectè probat *Onn. d.* 3. à n. 167. hinc per leges illas plus non probatur, quam contractus dolosos esse annullabiles & irritabiles. Addit *Lugo* n. 128. etiam ideo dici irritos & nullius momenti, quia dant debilissimum jus, quod pote statim revocabile ab injuriam passo.

626 *Obji.* 2. Dolus facit contractum rescindibilem, ergo vitiat, quia si est rescindibilis à decepto, ergo ex parte decepti non obligat ex justitia commutativa, nam ex hac obligari, est obligari utrimque irrevocabiliter, saltem in contractibus onerosis, cum utrimque debeat causari jus, jus autem est potestas inimpedibilis. R. Etiam ex parte decepti, per se loquendo, obligat irrevocabiliter, sed per accidens nunc non ita obligat propter injuriam factam, manetque utrimque æqualitas intrinseca & substantialis, quamvis non extrinseca & accidentalis, scilicet quoad revocabilitatem & alia accidentia, quia obstitit malitia decipientis.

Obji.

Obji. 3. Si contractus possit rescindi propter ⁶²⁷
injuriā, quam dat dolus antecedens, ergo etiam poterit rescindi, quamvis dolus sit tantum concomitans, tum enim adhuc esset injuria, & consequenter si vendens tibi vinum dixissem esse vetus, quod tamen eodem pretio emissem, quamvis scivisses esse novum, si fuit novum, posses rescindere emptionem. *R.* Seq. concedunt *Silv.* & *Ang.* apud *Dicast.* n. 93., qui tamen cum *Sanch.* & alius putat esse negandam, quia respectu ementis, moraliter loquendo, nulla censetur esse mutatio, cum ipse tempore contractus nihil de illa curaret, adeoque nec censetur iniuria, aut saltem, inquit *Lugo* n. 104., non erit efficaciter damnosa.

Inst. Ergo si dolus etiam ab aliquo tertio esset factus, adhuc posset contractus rescindi. *R.* Seq. concedunt *Med.* & *Dicast.* n. 91., sed melius negant alii, cum enim jus rescindendi tantum proveniat ab injuria, si contrahens injuriā non fecerit, nec poterit contractus cum ipso initus rescindi, sed decepto manebit actio, quanto minoris, contra alterum contrahentem, L. 13. ff. *De action. empti.*, & contra deceptorem dabitur actio ad id, quod interest, *ff.* n. 358. & habetur L. 2. ff. *De proxenetis.* Ex dictis,

Resolvitur hic casus. Post longam litem, an ⁶²⁹
certus fundus Titii esset collectabilis, fit transactio cum communitate, ut censetur non collectabilis: Titius postmodum reperit certa documenta, per quæ convincitur fundum fuisse collectabilem. *Queritur*, an Titius in conscientia teneatur hoc aperire, & fundum subicere communibus oneribus. *R.* Si fuit vera transactio, id

est, pactio onerosa circa rem tum dubiam, v. cujus pactionis communitas prætendens collectabilitatem accepit à Titio, quanti in istis circumstantiis iudicio prudentum æstimabile erat jus illud dubium, transactio tenet, nec ideo potest rescindi, *L. Sub prætextu, 19. Cod. De transact.* tenentque Theologi cum *Mol. t. 2. d. 556.*, quod de eo casu fusè discurret; brevius *Laym. l. 3. t. 4. c. 31.* Ratio est, quia expediebat ad bonum commune, ut interveniente ejusmodi transactione per jus altum sopirentur tales controversiæ, ne relinqueretur occasio continuarum litium. Duo tamen videntur addenda, 1. si communitas nunc de destiterit urgere, quia probare non poterat collectabilitatem, & nihil acceperit pro prætensio jure, quamvis erexerit quasi contractum non exigendi impofterum, Titius non est in conscientia liber, quia huic cessione & contractui causam dedit error vel ignorantia circa substantiam, quæ hic erat obligatio vel immunitas à collectibilitate, ad quam præsumi debet fuisse restricta voluntas communitatis; neque jus positivum se interponit per jus altum, nisi adfuerit transactio prout contradistincta à pactione gratuita, uti notat *Laym.*, & clariùs *Mol. §. Præterea*.
 2. Si immunitas Titii redundaret in præjudicium tertii, qui non transegisset cum Titio, & cuius fundi ideo gravandi essent majoribus oneribus, quia partem totalis oneris nunc non ferret fundus Titii, Titius teneretur huic dare satisfactionem. De transactione diximus n. 464. & n. 759. pauca addemus.

630 §. 6. Vis & metus quandoque impediunt, quandoque relinquunt libertatem consensûs requisitam

tam ad valorem contractus, uti jam explicabitur.

1. Vis, inquit *Ulp.* L. 2. ff. *Quod metus causâ*, est majoris rei impetus, qui repelli non potest, & re ipsa hîc idem significat, quod violentia; violentum autem dicitur, quod est à principio extrinseco, passo non conferente vim, id est, passo renitente: & quamvis voluntas non possit pati vim quoad actus elicitos, tamen dicitur pati vim, quando adducitur ad consensum per aliquid, cui ipsa valde renititur, cum autem non renitatur, nisi illi, quod ipsa fugit & metuit, uti habetur L. 1. ibidem, hinc per vim hîc intelligitur metus, ideoque ad parcendum vocibus utemur solo nomine *metus*, & quod de hoc dicemus, intelligendum est de vi.

2. Metus ab eodem *Ulp.* L. 1. ibidem, definitur, instantis vel futuri periculi causâ, mentis trepidatio, id est, actus voluntatis fugiens malum imminens: est autem metus gravis vel levis; gravis, qui vehementer conturbat, nec facile potest superari; levis, qui non ita conturbat & facilius potest excuti. Gravis, alius est absolute, alius respectivè talis; absolute gravis est, qui est, non præcisè de perdendo magno lucro, uti rectè notat *Lugo* d. 22. n. 144., sed de incurrendo gravi malo, instante illi, qui timet, vel aliis ipsi proximè sanguine aut arctissimâ amicitia conjunctis, ita ut horum mala reputentur propria, v. g. de morte, mutilatione, longo carcere, diuturno exilio, atroci cruciatu, stupro sibi inferendo, servitute, quæ omnia habentur ff. *Quod metus causâ*, & *Cod. De his quæ vi metusve causâ*, item in primo *Decretalium* tit. 40. Ad metum gravem

reducitur metus de amissione majoris partis bonorum, de gravi infamia, injusta excommunicatione; dicunturque hi metus cedere in constantem virum, quia nemo censetur amittere nomen viri fortis, licet tum timeat; à juristis autem metus talis dicitur justus seu probabilis, quia aliquis justè, id est, meritò tum timet, & nemo improbare potest, quòd quis tunc timeat. Metus respectivè gravis est, qui est de malo, propter quod non trepidaret quidem vir fortis, tamen judicio prudentum meritò trepidat hic homo, v. g. hic senex, hæc mulier, hic puer; unde in ordine ad contractum habetur quasi metus absolutè gravis. Nec refert, quòd alter non cogitarit seriò inferre malum, dummodo metuens seriò apprehenderit, *Less. L. 2. C. 17. n. 45. Dicast. L. 2. t. 3. d. 1. n. 115.*

632

3. Metui gravi communiter æquivalet metus reverentialis, quo uxor timet gravem offensam mariti, filius parentum, pupillus tutorum, subditus Principis, Clericus sui Episcopi, Monachus Abbatis, &c. tum autem censetur gravis offensa, si putetur fore diuturna cum asperitate vultus vel verborum vel cum alia dura tractatione. Quòd si tantum fierent preces importunæ, vehementes & sæpius repetitæ, hæc junctæ ad reverentiam, quam hæc personæ inferiores debent Superioribus, censentur facere metum reverentialem; ut tamen tam metus reverentialis quam preces etiam importunissimæ simpliciter æquivaleant metui gravi in ordine ad materias contractuum, putat *Onn.* debere adjunctas esse minas aliquas, *Lugo* dicit debere simul adesse metum mali alterius gravis secuturi, possuntque de
his

his omnibus videri *Sanch. de Matr. L. 4. d. 4. & seqq., Less. à n. 35. Onn. d. 3. S. 10. 11. & 14. Lugo à n. 110.*

4. Metus ab intrinseco, id est, vel proveniens 633
ab intrinseca complexione hominis, vel incussus
à causa naturali, v. g. morbo, tempestate, belluis
&c. quantum est de se, non impedit valorem
contractus, uti si ex metu mortis Medico pro-
mittas aurum; ratio est, quia homo tum non im-
pellitur ab alio, sed ipse se in eum contractum
liberè inducit, uti habetur *L. Si mulier, 21. ff. Quod metus causâ. Dixi,* quantum est de se, nam
si metus omnino turbaret rationem, contractus
non valeret defectu advertentiæ vel deliberatio-
nis plenæ.

5. Metus justè, etiam ab extrinseco, id est, ab 634
alia causa libera incussus, non impedit valorem
contractus, *L. 3. & 21. ff. Quod metus causâ,* te-
nentque AA communissimè cum *Onn. n. 217.*
Quod etiam valere de Matrimonio ac professio-
ne religiosa docent *Sanch. Castrop. Lugo n. 159.*
& 165. *ff. t. 4. d. 2. n. 352.* contra alios, nam
cap. Ex litteris 2. De sponsal. deciditur eum validè
contrahere Matrimonium, qui post inita spon-
salia metu excommunicationis cogitur ad Matri-
monium: & de professione religiosa *Cap. De re-
gularibus 25. De Simonia,* ubi de aliquo, qui de-
liquerat, dicitur debere cogi ad strictiorem Or-
dinem: Ratio autem est, quia metus relinquit
simpliciter voluntarium; quòd enim metus in-
justè incussus irriter contractum, non est ratione
involuntarii sed injuriæ, quæ in metu justo non
est: & quamvis injustè incussus dici possit causare
involuntarium secundùm quid, tamen *Less. n.*

43. notat justè incussum non debere dici causari ullo modo involuntarium, moraliter loquendo, quia ipsemet dedit justam causam, ut incuti posset metus, ergo metus ille est illi voluntarius in causa & veluti ab intrinseco, adeoque nullo modo involuntarius, moraliter loquendo.

635 6. Si incutiens tantum simulet, v. g. si Titius sciens Cajum deliquisse, & potens justè, attamen nolens accusare, minetur se accusaturum, nudi det aureum, *Mol. Bonac.* aliique cum *Lugo* n. 167. dicunt Titium non posse retinere, quia dolus dedit causam contractui; sed *Sanch. Castrop. Dian.* aliique cum *Less.* n. 42. & *Dicast.* n. 119. probabilius dicunt posse retinere, quia habuit jus ad accusandum, quo se privat, hoc autem est pretio æstimabile, unde aureus datur, ne habeatur animus accusandi, qui haberi poterat: quod autem non minetur serio, est quidem dolus, sed non injustus, nam justè potest minari, sive habet serium animum sive non; & ita concedit *Lugo* n. 170., si quis justè, quamvis dolo, terreat peccatorem, qui ideo ingrediatur Religionem, professionem utique fore validam; & sic dicebat *Paulus*, 1. Corinth. 12. v. 16. *Cum essem astutus, dolo vos cepi.*

636 7. Metus etiam ab altero contrahente injustè, & in ordine ad extorquendum consensum incussum, spectato jure naturæ non invalidat contractum, ita *Henriq. Bonac. Regin. Less.* aliique propè innumeri, præsertim Canonistæ cum *Sanch.* suprâ d. 8. n. 4. *Fls.* n. 349., quos sequitur *Lugo* n. 115., & quoad contractus onerosos, *Dicast.* n. 98. contra *Mol. Rebel. Valent. Onn.* n. 235. & alios, qui dicunt omnes
ejus-

eiusmodi contractus esse jure naturæ irritos, item contra *Turr. Sotum, Azor, B. Pontium, Dicast. L. 3. T. 4. dub. 3.*, qui dicunt saltem contractus gratuitos esse jure naturæ irritos, sed assertio probatur, quia in ff. & Cod. hoc tit., in singulis pene legibus dicitur tales contractus esse annullandos seu rescindendos, esse omnia restituenda in integrum &c., ergo signum est leges non agnoscere, quòd sint antecederent irriti, neque rem esse integram independenter à dispositione juris positivi: Ratio autem est, quia vel ideo sunt irriti, quòd desit libertas, vel quòd fiat injuria; non ideo, quòd desit libertas, nam metus non tollit libertatem nec voluntarium, uti patet in contractibus, qui fiunt ex metu gravi proveniente ab intrinseco aut justè incusso. Neque ideo, quòd fiat injuria, quamvis enim ideo sint illiciti, tamen non ideo sunt irriti, uti patet in contractibus, qui causantur ex dolo aut ex metu levi injustè incusso, qui utique jure naturæ valent, item in Matrimonio, nam si Titius prius contraxerit sponsalia cum Caja, & postea contrahat Matrimonium cum Sempronia, hoc Matrimonium est validum, quamvis sit injuriosum, imprimis Cajæ, uti patet; deinde etiam Semproniæ, quam decipit.

8. Contractus aliqui, nempe Matrimonium 637.
& Professio religiosa, promissio vel traditio ex rebus Ecclesiæ, promissio vel solutio dotis, sunt jure positivo irriti, si fiant ex metu gravi injustè incusso: idem dicunt aliqui de sponsalibus, renunciatione beneficii Ecclesiastici, jurisdictione extorta, absolutione à censuris & aliis, de quibus videri possunt *Less. n. 37. Sanch. de Matr. l. 4. d. 8. Lugo à n. 120. Onn. n. 230.* Idem etiam dicunt

cunt AA. citati apud *Illf.* n. 350. de votis simplicibus, ex Cap. *Sicut qui Monasteria*, 20. q. 1. & Cap. *Præfens* 20. q. 3., quamvis *Suar. B. Pontius & Castrop.* dicant tantum esse irritanda.

638 9. Reliqui contractus per talem injustum metum extorti non sunt jure positivo irriti, sed tantum irritandi, ita *Sanch. Less. Dicast.* n. 99. dicens teneri ab innumeris, *Onn.* n. 239. dicens esse omnium, sed pro contraria sententia citant multos *Dicast. & Lugo* n. 118. Ratio nostra est, quia jura manifestè id asserunt §. *Verbi* 1. *Inst. De Except.* L. 1. ff. *Quod metus causâ*, L. *Dolo vel metu*, Cod. *De inut. stipul.* aliisque plurimis locis apud *Lugo & Onn.*, & causa harum legum fuit, partim ne lites & jurgia multiplicarentur, si unicuique absque sententia Judicis liceret res suas repetere, partim quia injectio metus injusti est delictum, delicta autem non præsumuntur, hinc jus statim non dari actionem, nec rescindi contractum, atque tamquam delictum probetur.

639 10. Si metus non incutiatur ad contractum extorquendum, ex illo tamen fiat contractus, v. g. si alicui, quem in flagitio deprehendis, mineris injustè mortem, & hic, ut periculum evadat, aliquid tibi promittat vel donet, *Angel. Sotus* & alii dicunt contractus hos esse saltem irritabiles, quia revera fiunt ex metu injustè incusso; *Sanch. Bonac.* & alii cum *De Luca* de benef. d. 78. à n. 8. dicunt non esse irritabiles, quia hic consensus est veluti ab intrinseco, cum ipsemet præeligat contractum, ut evadat mortem, neque metus propriè est causa contractus, cum non incutiatur metus ex intentione contractus, sed tantum est occasio, inquit *Less.* n. 40. Consentiunt alii

alli cum *Lugo* n. 175. , si metus principalis iuste incutiatur, si autem iniuste, uti in casu allato videtur fieri, probabilius dicunt esse irritabiles, & videtur colligi ex *L. 7. ff. Quod metus causâ*, ubi dicitur deprehensum in flagitio, qui iure non poterat occidi, si quid promiserit propter metum, posse per hoc edictum juvari; ratio autem est, quia metum iniuste incutiens tenetur ratione iniuriæ ad tollenda omnia incommoda inde provenientia, inter quæ esset tali contractu obligari.

11. Si metus sit ab aliquo tertio & non ab altero contrahente incussus, adhuc potest contractus jure positivo rescindi, nam ita statuitur *L. Item, 14. §. 3. ff. Quod metus causâ*, & docent *Mol. Sanch. Less. n. 39. Lugo n. 172. Dicast. n. 111.* aliique communiter. *Nec obstat*, quod n. 628. dixerimus contractum non esse irritabilem, si dolus ab aliquo tertio sit factus, nam legum non est petenda ratio, uti habetur *L. 20. & 21. ff. De legibus*, ratio tamen congruentiæ est, tum quia per metum minuitur voluntareitas consensûs, tum etiam quia dolus per diligentiam & circumspectionem facilius caveri poterat, ergo fuit ratio, cur lex concederet rescindibilitatem ob metum, licet non concedat ob dolum à tertio factum. 640

12. Contractus non possunt rescindi, nisi ad arbitrium injuriam passî, quia potestas rescindendi inducta est in favorem metum passî & in odium inferentis, ergo inferens resilire non potest altero invito, *Navar. Mol. Less. Onn. n. 243.* aliique communiter. 641

13. Levis metus etiam iniuste incussus & dans causam contractui non impedit eius valorem, nec 642

nec facit rescindibilem iure positivo, facit tamen rescindibilem iure naturæ & pro foro conscientia, si de se rescindi possit. Probat, nam imprimis contractum non ideo esse irritum iure naturæ, est communis contra *Onn.* n. 237., & patet ex dictis n. 636. Deinde nec esse rescissum aut rescindibilem iure positivo, etiam est communissima, & habetur L. 5. 6. & 7. ff. *Quod metus causâ*, item Reg. 184. ff. *De div. reg. juris*, ubi dicitur, quod metus levis pro nihilo reputetur, item quod vani timoris iusta excusatio non fit. Denique pro foro conscientia posse rescindi a metum passo, docent *Sanch. Castrop. Less.* n. 46. contra *Med. B. Pontium*, *ffls.* n. 353., & ratio est, quia metus ille est iniuria, ergo inferens tenetur eam depellere & iniuriatum restituere in priorem statum libertatis, ad quem recuperandum jus habet. *Nec obstat*, quod in ratione metus dicatur levis, nam hoc non obstante potest in ratione damni & iniuriæ esse peccatum grave, ut si levi verberare frangas pretiosum vitrum aut percutias matrem tuam. Dixi, si de se rescindi possit, nam in sententia, quod Matrimonium ex metu levi initum valeat, rescindi non poterit, quia semel validum ex natura sua est indissolubile; an autem re ipsa tum valeat dicitur L. 6.

- 643 *Obji.* 1. Jus non potest nasci ex iniuria, sed si contractus causati ex metu iniuste incusso essent validi, jus nasceretur ex iniuria, ergo. *R.* Jus non potest immediatè nasci ex iniuria, transeat, mediatè, *N.*, nam si filius occidat patrem, filius per successionem ab intestato immediatè acquirat jus ad hæreditatem, per iniuriam, quâ occidit patrem, mediatè: similiter si ex dolo vel metu levi,

levi, attamen injusto, in eatur contractus, jus mediatè nascetur ex injuria, immediatè ex consensu contrahentis, quem causabit injuria, & ita etiam fit in nostro casu. *Dixi*, transf., nam si fur pecuniam alienam misceat suæ, acquirit dominium pecuniæ alienæ per mixtionem, quæ tamen mixtio est vero domino injuriosa, quamvis etiam hîc dici possit acquirere dominium immediatè per dispositionem juris positivi, mediatè per mixtionem.

Inst. Jus naturæ non potest favere injuriæ, ergo contractus injuriosus non potest jure naturæ esse validus, ita *Onn. R.* Jus naturæ non potest favere injuriæ, approbando illam, C., non irritando, N. ant. & conseq., quamvis enim prohibeat talem injuriam, tamen non tollit ejus existentiam & effectum.

Obji. 2. Ad valorem contractûs requiritur consensus ita liber, ut nequidem secundùm quid fit involuntarius, sed consensus præcedens ex metu gravi non est ita plenè liber, ergo. ita *Onn. R.* Ad valorem contractûs, si non fit rescindibilis, requiritur consensus ita plenè liber, transf., si maneat rescindibilis, N. Maj. & Conseq. 644

Inst. Cap. *Cum locum. De spons.* dicitur, ibi locum non habet consensus, ubi metus & coactio intercedit; item Reg. 116. ff. *De div. reg. juris* dicitur, nihil consensui tam contrarium, quàm vis & metus. *R.* Primus textus intelligitur de consensu absolutè libero, firmo & non revocabili. Ex 2. plus inferri non potest, quàm consensum debere manere revocabilem, ubi contractus est irritabilis.

445 *Obji. 3.* Si valet contractus metu extortus, v. g. promissio auri facta latroni volenti occidere, ergo metum passus tenebitur hoc aurum tradere, adeoque latro habebit jus ad obtinendum aurum per injuriam, quod etiam statim tenebitur restituere, ita *B. Pont. R. N. Seq.*, nam metum passus potest, quodocunque vult, eum contractum rescindere, ita *Lugo n. 116.*

Inst. 1. Non datur jus ad injuriam neque ad actionem illicitam, sed latro habebit jus ad injuriam, nempe ad obtentionem auri promissi, quamdiu contractus non rescinditur. *R.* Habet tantum jus ad dationem ab altero faciendam, quæ danti nec illicita est nec injuriosa, cum cedere possit juri suo, & nemo sibi faciat injuriam; sola coactio furis est injuriosa, sed ad hanc fur non habet jus.

Inst. 2. Habet jus ad petendum, & tamen petitio est injuriosa. *R.* Habet jus absolutum, vel jus ad petitionem simpliciter, *N.*, habet jus conditionatum, si nempe læsus non opponat exceptionem injuriæ; item habet jus tantum ex suppositâ promissione ac etiam sub obligatione statim restituendi, *C.*, hæc autem petitio non est injuriosa nec illicita, quia si læsus non opponat exceptionem, censetur consentire in talem dationem & petitionem.

Inst. 3. Si latroni tradidisset illud aurum, latro non acquisivisset ejus dominium, ergo signum est, quod promissio fuerit irrita. *Prob. ant.*, qui *L. Metum, 9. §. Volenti, & §. licet, ff. Quod metus causâ,* metum passo conceditur actio, non solum in personam, sed etiam in rem, ubicunque existat,

stat, ergo signum est, quòd hic retinuerit ejus dominium. *R. N. ant.*, dicitur enim habere actionem in rem, non quòd maneat dominus rei, sed quia rescindendo contractum potest facere suam, & conceditur ipsi restitutio in integrum, hinc res debet ipsi restitui cum fructibus, nemo autem dicitur exclusus à re, ad quam ita plenè recuperandam, actio ipsi conceditur, uti habetur *L. Nemo, 5. ff. De in integ. restit.* & quia qui actionem habet ad rem, rem ipsam habere videtur, inquit *Reg. 15. ff. De diver. reg. juris.*; hinc metum passus dicitur quasi adhuc habere rem; atque etiam ideo debet respectu istius rei præferri omnibus aliis creditoribus, nam rescindendo contractum tollit omne jus, quod habebat inferens injuriam, ergo etiam tollit jus aliorum creditorum, quod fundabatur in jure inferentis injuriam, *Lugo n. 119. & Illf. n. 250.*, qui videri potest. Ex his

Inferuntur seqq. 1. Qui rem per ejusmodi contractum extortum est consecutus, tenetur eam restituere, sive ipse sive alius metum gravem injustè incusserit, quia jus positivum dat jus in rem ipsam, apud quemcunque existat, uti jam dictum est, probatque pluribus *Onn. à n. 220.*; quod tenet, licet ille, qui nunc habet, bonâ fide acceperit à primo, uti notant *Sily. Garz. Sanch. Lugo n. 186.* 2. Si metus, ex quo causatus est contractus, fuisset ita levis, ut se solo non causasset, causaverit tamen, prout conjunctus aliis motivis, esset obligatio compensandi tantùm partem damni, uti docet *Lugo n. 138.*; videri tamen debent dicta n. 53. Quid autem faciendum sit in dubio, an metus fuerit causa partialis necne, etiam n. 574. est dictum

se, non ipse solus se privaret libertate, sed simul ista semideliberatio, ergo.

Obji. Præceptum semiplenè deliberatè cogni- 651
tum obligat hominem sub veniali, ergo contractus semiplenè deliberatè initus etiam obligabit, saltem sub veniali. *R. N.* Conseq., præcepta, ut obligent, debent poni cum plena deliberatione, & in hoc paritas est cum contractibus, sed ut peccetur contra præcepta semel posita, aut etiam contra obligationem jam causatam per contractum, sufficit semiplena deliberatio, quia re ipsa fit violatio, si obligatio cognoscatur etiam semiplenè tantum, & non curetur; Ratio disparitatis jam data est, quia obligatio contractus est à voluntate hominis, quisque autem censetur esse in ea voluntate, ut obligari nolit, nisi totus consentiat, sicuti enim est plenus dominus rei suæ, ita non vult eam à se abdicare, nisi agat ut plenus dominus suæ libertatis: è contrà turpitudine & ratio peccati non est à voluntate hominis, sed sequitur naturaliter ad positionem actus prohibiti, licet quis nollet eam sequi, ergo ad hanc non requiritur ea libertas vel deliberatio. Ex dictis,

Inferuntur seqq. 1. Si quis, dum est sobrius, non 652
posset se resolvere ad contractum, & ideo largiter biberet, ut ferme ebrius, in semideliberatione contraheret, contractus in hac initus non obligaret, ob rationem jam datam: similiter non obligat, si fiat ab homine semidormiente, uti certum esse docet *Onn. d. 4. n. 32.* Si dicas, valere contractum factum per procuratorem illius, qui mandatum dedit, & postea, dum fit contractus, ebrius est vel dormit, ergo similiter factus ab ebrio vel semidormiente, qui antea hoc intendebat.

debat. *℞.* Disparitatem esse, quòd actus procuratoris fit humanus, & fiat humano modo ex mandato adhuc moraliter existentis, ideoque est moraliter actus mandantis: è contrà contractus factus à semiebriò vel dormiente non est plene humanus, nec fit humano modo contrahendi, neque censetur prior volitio moraliter permanere in ordine ad contractum humano modo

653 causandum. 2. Quamvis contractus fiat cum passione, si tamen non impediatur deliberatio sufficiens ad mortale, contractum valere, alioquin innumeri contractus forent invalidi, v. g. sponsalia ex passione amoris, emptio ex passione invidia; & ita videtur afferi L. 9. ff. *De publicanis* ubi dicitur licitationi ex calore factæ jungendam esse cautionem fidejussionis, ergo talis licitatio à jure agnoscitur esse valida. *Nec obstat* L. 3. ff. *De divortio*, ubi sic habetur, *Quidquid in calore concundie, vel fit vel dicitur, non prius ratum est. quam perseverantiâ apparuit iudicium animi fuisse: quod repetitur* Reg. 49. ff. *De div. reg. juris*: item *Cap. Divortium. De pœnitentia*, dist. 1. nam hi textus tantùm loquuntur de divortio, & dicunt non debere judicari esse factum ex animo, si conjuges ex subita ira ab invicem divulsi, statim redeant de aliis autem contractibus nihil disponunt jura

654 §. 8 Consensus ad contractum requisitus debet esse externè manifestatus, ita *Lugo* d. 22. n. 102, & pluribus d. 23. f. 2. *Dicast.* l. 2. t. 4. n. 454. aliique communiter; Ratio est, quia contractus est actus humani commercii, ergo ut valeat & obligationem inducat, debet fieri humano modo, ergo debet in sensum aliquem cadere. *Nec obstat*, quòd promissio interna juramento firmata

firmata obliget, nam obligatio oritur vi religionis ex juramento, quod habet se per modum Voti Deo facti; de cætero rectè notat *Onn. d. 29. n. 21.* nequidem esse obligationem manifestandi nudam promissionem, quam quis internè concipit, habuit enim tantùm hanc mentem, volo obligari, si promissario manifestavero hanc meam volitionem, & ipse acceptârit, ubi non promittit se manifestaturum; & quamvis hoc intendisset, adhuc non esset acquisitum jus alteri, nisi hanc ipsam intentionem manifestatam acceptâisset; atque ita docent AA communiter cum *Dicast. dub. 7. Addit Lugo d. 23. n. 2.*, si quis nollet illam suam voluntatem internam manifestare, & tamen illam præter intentionem manifestaret, non obligandum, quia illa manifestatio non fuisset actio humana. Quæri autem solet, an hæc manifestatio externa requiratur de jure naturæ vel positivo; *Led. Palat. & Mendoz.* dicunt requiri tantùm de jure positivo, alii communiùs & meliùs cum *Lugo n. 29.* dicunt requiri de jure naturæ, ob rationem antè datam, quia deesset volitio obligationis. Speciatim autem circa acceptationem promissionis & donationis dicetur à n. 765.

Obji. Quando ex præsumpta voluntate domini rem accipio, acquirò dominium vi voluntatis internæ, quam ipse habet, licèt exteriùs non manifestatæ. *R. N. aff.*, nam acquirò per occupationem animo possidendi, volitio autem domini tollit impedimentum seu repugnantiam, quâ sublatâ nunc ita occupo, ac si nullius esset, *Lugo n. 33.*

§. 9. Ad contractum onerosum requiritur 656

Cc 4

acce-

acceptatio mutua consensûs , & manifestatio illius mutuae acceptationis , ita *Lugo* d. 23. à n. 26. *Dicast.* n. 455. *Onn.* d. 29. §. 4. aliique. Probatum , nam requiritur acceptationem consensuum , patet , alioquin duæ voluntates non convenirent humano modo in unum : deinde cum uterque contrahens det alteri jus contra se , ut hic habeat jus contra illum , & ille contra hunc , debet in utroque esse acceptatio illius juris , hæc autem duplex acceptatio , cum debeat constituere contractum humanum , debet esse humana & sensibilis , ergo utraque illa acceptatio debet utrique manifestari , sicuti enim duo consensus non sunt humani nec inducunt obligationem utrimque , nisi invicem manifestentur , ita nec acceptationes : Oppositum est in contractibus gratuitis , quia cum obligationem inducant ex una tantum parte , satis est esse acceptationem ex parte illius , qui alterum sibi obligat. Ex dictis

- 657 *Sequitur* 1. Si offeram tibi domum mille aureis venalem & tu acceptes , offerasque 1000. aureos , venditionem non perfici , quando tu acceptas & promittis 1000. aureos , sed quando tua acceptatio mihi manifestatur , mea enim acceptatio , quæ obligationem accepto , si consentias , est tibi sufficienter manifestata per hoc , quod offeram domum isto pretio venalem , ergo si mihi vicissim manifestetur tua acceptatio , hoc ipso perficietur contractus , neque opus erit tibi vel mihi ulterius manifestari aliam acceptationem.
- 658 2. Si mecum onerosè contrahas per procuratorem , tum perfici contractum , quando tuus procurator acceptat , & ego id rescio , licet tu necdum

necdum acceptaris , quia cùm agat nomine tuo & gerat tuam personam , acceptatio illius est moraliter tua. 3. Si contraham onerosè tecum per literas , hunc contractum priùs tum perfici , quando mihi per responsum innotescit tua acceptatio. 4. Si donum mihi mittas, donatio completur, dum accepto, etiam si nihil rescias de mea acceptatione. 659

Obj. Ad remittendum jus, quod habeo contra Petrum, non requiritur acceptatio Petri, possum enim illi inscio condonare debitum, uti Deus mihi inscio condonare potest peccatum, ergo ad acquirendum jus contra Petrum non requiretur acceptatio mea , sed fieri poterit solâ voluntate Petri. *R.* Ad remittendum irrevocabiliter jus , quod habeo contra Petrum, non requiritur acceptatio Petri, N., ad remittendum revocabiliter, C. ant. & N. conseq., si enim remittam revocabiliter , Petrus nullum acquirit jus contra me, ad hoc, ut sit liber debito, sed si velim, potero semper exigere debitum, sub illa enim conditione remitto, nisi aliter voluero, priusquam Petrus meam remissionem acceptârit, Lugo n. 54. Vide dicenda à n. 778. 660

Inst. Si acceptatio requiratur ad obligationem, vel ergo erit tantùm conditio , vel partialiter causa obligationis. *R.* Less. L. 2. C. 18. n. 41. dicit esse tantùm conditionem, quâ positâ obligatio causetur à voluntate contrahentium ; Lugo n. 40. dicit esse causam partialem , cùm sit pars juris, quo unus ligat & alter ligatur , quod videtur esse probabilius , nam illâ solâ sublatâ non esset obligatio.

Q. 105. Quid dicendum sit in variis dubiis circa 661

Ec 5

hæcte-

hactenus allata. R., AA. notant seqq. 1. Si dolo inductus es ad contractum, & dubites, an dolus dederit causam contractui, v. g. emisti novum vinum putans esse vetus, & dubitas, an fuisses empturus, si scivisses esse novum, hoc dubium resolvendum est consideratis causis & circumstantiis, quibus inductus es ad emendum, an nempe per hoc notabiliter impediatur finis vel usus, quem intendebas. Quod si his consideratis adhuc non possis resolvere, decidendum est secundum commune iudicium aliorum, unde si qualitas ignorata ex se magnam mutationem faciat, præsumere poteris te non fuisse contracturum, si scivisses, quia ita contingere solet apud alios homines, ita *Sanch. de Matr. L. 1. d. 65. n. 4. Lugo d. 22. n. 100.*

662 2. In dubio, an talis mutatio rerum sit subsequuta, ut ad eam te nolueris obligare, vel an erraveris notabiliter in re promissa, vel an causa cessarit, vel an causa, quæ nunc cessat, fuerit finalis & principaliter motiva tui consensûs, præsumendum videtur pro valore contractûs, quia jura dicunt, ut actus potius valeat, quàm ut pereat, videturque etiam pro illo esse possessio, quia scitur esse factus, & ignoratur invaliditas, *Sanch. in Decal. l. 4. c. 2. n. 13. 34. 52. Lugo n. 91.*

663 3. Universaliter loquendo, si dubites, an volueris te obligare, attendenda sunt verba, quæ si significant animum se obligandi, præsumendum est, quod animus ille adfuerit, quia nemo præsumitur aliter sentire quàm loquatur, ergo est possessio pro valore actûs, *Sanch. de Matr. L. 1. d. 9. n. 13. Castrop. t. 1. d. 3. p. 10. n. 4. aliique communiter. Econtrà si verba sint indifferentia ad*

ad significandum animum se nunc obligandi vel propositum postea prius se obligandi, non teneberis per illa te obligare, sed standum erit pro libertate, quæ est in possessione contra obligationem, Lugo n. 63. *Dicast. L. 2. t. 3. n. 51.* Denique si verba sint ambigua, & tenebaris hinc & nunc habere animum te obligandi per illa, præsumendum est, quod volueris te obligare, alioquin peccâsses, delicta autem non præsumuntur, Lugo n. 65. Quid dicendum sit in variis dubiis circa iuramenta, quibus firmantur contractus, colligi potest ex dictis hinc p. 1. à. n. 307.

Q. 106. *Quid notandum circa stipulationes. R.* 664
 seqq. §. 1. Stipulatio est contractus, qui perficitur certâ Interrogatione & Responsione, cum enim omnis contractus debeat parere obligationem Justitiæ, verba autem, quibus significatur consensus, de se sint indifferentia ad talem obligationem significandam, jus statuit, ut censerentur prolata ex intentione se obligandi ex justitia, etiam civiliter, si consensus significaretur conceptis & à lege præscriptis verbis per certam interrogationem & responsionem, nempe spondes? spondeo: promittis? promitto: fide promittis? fide promitto: fidejubes? fidejubeo: dabis? dabo: facies? faciam &c. è contrà quando ita non fiebat, jus non præsumebat, saltem in contractibus innominatis & pactis nudis fuisse intentionem se ex justitia civiliter obligandi, uti habetur *Instit. & ff. De verb. oblig.*

§. 2. Quamvis stipulatio certis verbis concepta in contractibus adhiberi possit, nunc tamen necessaria non est, sed usu & jure novo est antiquata, ita cum aliis *Onn. d. 2. n. 137.* Ratio est, 665
 quia

quia modus ille contrahendi videbatur esse nimis superstitiosus, cum per quæcunque verba vel signa sufficienter significari possit animus se obligandi ex iustitia.

666 Q. 107. *Quinam possint contrahere.* R. Possunt omnes, qui habent plenum usum rationis, & materiam, de qua contrahant, neque jure prohibentur; ita quoad rem omnes, & habetur L. 5. Cod. *De oblig.*, quæ jam explicabuntur.

§. 1. Cum contractus sit actio humana inducens obligationem in conscientia, ebrii, dormientes, furiosi, fatui, cum non habeant usum rationis, non possunt contrahere, nisi tempore lucidi intervalli, in quo si contractus fiat, prout decet hominem sanæ mentis, admitti debet tanquam validus, *Onn. d. 4. n. 27.* Quamvis autem hi non possint contrahere sive obligare & obligari ex contractu, possunt tamen obligare & obligari, si ad hoc non requiratur ipsorum consensus, L. *Si à furioso*, 24. ff. *De oblig.* docentque *Glossa, Bartol. & alii* cum *Onn. n. 34.* sic enim si fatui fiant legatarii, obligant sibi hæredem ad solvendum legatum; si fiant hæredes, obligantur legata solvere: hæ tamen obligationes sunt minùs strictæ, cum non fundentur in potentia proximè libera, hinc jus providit, ut alii, nempe tutores, curatores, administratores vel Responsores ipsa personas eorum repræsentent & suppleant.

667 §. 2. Infantes non possunt facere contractus, qui inducant obligationem saltem civilem, quia non præsumuntur habere plenum usum rationis, & ita habent leges plurimæ apud *Onn. n. 17.* In iure autem tam masculi quam fæmellæ usque ad annum 7. completum dicuntur infantes;

abhinc masculi ad 14., fæmellæ usque ad 12. completum dicuntur impuberes, quòd si morte patris vel emancipatione desierint esse in patria potestate, dicuntur pupilli; si patre & matre careant, sunt Orphani. Deinde masculi ante completum annum 10. cum dimidio, & fæmellæ ante completum 9. cum dimidio, dicuntur infantia proximi: ab hinc masculi usque ad annum 16. cum dimidio, fæmellæ usque ad 14. cum dimidio dicuntur pubertati proximi; sed masculi completo anno 14., fæmellæ completo 12. dicuntur puberes: abhinc usque ad 25. completum dicuntur Minores seu Minorenes, quandoque etiam vocantur adulti. Vide p. 1. n. 1026.

§. 3. Pupillis, etiam invitis, datur tutor, minoribus autem volentibus datur curator; quandoque etiam nolentibus in ordine ad lites, qui curator semel acceptatus repudiari non potest usque ad annum ætatis 25. completum. Etiam prodigo invito imponitur curator, quia præsumitur non posse solus sua administrare, nisi de prodigalitate accusatus se sufficienter purget: dicitur autem prodigus, qui profusè dat, id est, qui neque tempus neque finem expensarum habet, sed bona sua dilacerando & dissipando profundit, uti ait Ulp. L. 1. ff. De curat. furios., habenturque hæcenus dicta in jure apud Onn. n. 17. 36. 57. 64. 86.

§. 4. Si infantia proximus contrahat, non obligatur civiliter, §. 10. Instit. De inutil. stipul., docentque AA cum Onn. n. 18., quia habentur tanquam non utentes ratione: imò secundum Onn. n. 46. nequidem naturaliter obligantur, quia contractibus illis resistit jus positivum irritans consensum, Excipit Angel., nisi malitia
 supe-

superaret intellectum , sed *Sanch.* de Matr. L. 6. d. 38. n. 24. & *Lugo* d. 22. n. 283. rejiciunt exceptionem, quamvis enim in uno vel altero particulari non teneat ratio legis , non ideo definit etiam hos obligare , secundum dicta L. 1. q. 141.

670 §. 5. Pupillus non potest ullos contractus civiliter obligantes celebrare sine auctoritate tutoris, L. 1. Cod. De inutil. stipul. & alibi sæpe, tenentque AA. comunitur cum *Mol.* d. 224. & *Onn.* n. 37. Excipe, nisi ex contractu factus sit locupletior , tum enim obligatur naturaliter & civiliter, uti ex legibus & citatis AA. docet *Sanch.* n. 7. & 22.

671 §. 6. Si pupillus saltem pubertati proximus contrahat sine auctoritate tutoris , probabiliter videtur contractus illos jure naturæ valere & inducere obligationem pro foro conscientiæ, quibusdam exceptis, de quibus paulò post, ita *Bot.* *Azor*, *Mol.* *Nav.* *Less.* *Bonac.* *Regin.* *Rel.* *Sanch. Fill.*, quos citat & sequitur *Onn.* n. 44. Item *Laym.* *Tann.* & *Lugo* n. 288. contra *Alciat.* *Covar.* & alios apud *Sanch.* n. 20. , quorum sententiam *Dicast.* L. 2. t. 3. n. 283. vocat satis probabilem, *Less.* & *Sanch.* valde probabilem, *Platel.* n. 593. valde probabilem & in praxi tutam. Ratio nostra est , quia nihil deest de jure naturæ requisitum ad valorem talium contractuum , adeoque nec ad obligationem naturalem , quæ ex consensu sequitur ; sed nec jus positivum illos contractus irritat pro foro conscientiæ, nam L. *Marcellus* 25. ff. De fidejussoribus, expressè dicitur pupillum sine auctoritate tutoris contrahentem obligari , non obligatur autem civiliter , ergo natu-

naturaliter: item L. 25. §. 1. ff. *Quando dies legati*, & L. 1. ff. *De novat.* clarissimè dicitur pupillum sine auctoritate tutoris contrahentem obligari naturaliter. Similiter L. *Si pupillus*, 21. ff. *Ad L. falcidiam.* dicitur pupillum mutuam pecuniam reddendo liberari à naturali obligatione, ergo supponitur fuisse. *Nec obstat*, quòd L. 59. ff. *De oblig.* dicatur pupillum mutuam pecuniam accipiendo nequidem jure naturali obligari, nam sensus est jure naturali non obligari stare contractu, cum rescindere possit, uti paulò post dicitur.

§. 7. Si pupillus contrahat cum ipso tutore, v. 672
 g. si tutori vendat prædium, non obligatur nequidem naturaliter, §. 7. L. 34. ff. *De contrah. empr.* Limitat *Sanch.* n. 25., nisi fortè alter tutor consentiret, vel pupillus per hoc fieret locupletior, vel dolum committeret, in his enim casibus putat pupillum cum tutore contrahentem obligari.

§. 8. Si pupillus alienet immobilia vel mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt, id est, quæ possunt servari saltem per triennium, uti habent *Glossa & Dicast.* n. 286., contractus non obligat nequidem naturaliter, uti cum communi *Sanch.* n. 26. *Lugo* n. 294. *Onn.* n. 50., in his enim contractibus majoris momenti, jus positivum irritat consensum, non solum pupilli sed etiam tutoris, si consentiat, L. 22. *Cod. De administ. tutorum.* Unde ut ejusmodi alienationes valeant, debet præter auctoritatem tutoris adesse causa legitima, quæ in scripto apud Judicem probetur esse utilis pupillo, uti ibidem statuitur.

§. 9.

674 §. 9. Si Judex ex speciali causa interdixisset absolutè omnem administrationem pupillo circa res suas, tum non obligaretur nequidem naturaliter per contractus, *Sanch. n. 27.*, quia consensus illius esset jure irritus; sed hoc non est ordinariè, cum ipsi addatur tutor pro adjutorio, ut rectè *Lugo n. 289.*, ergo ipsius consensus non habetur ordinariè pro nullo.

675 §. 10. Pupillus contrahens sine auctoritate tutoris obligat sibi civiliter alterum contrahentem, (nisi hic etiam esset pupillus) unde contrahere potest validè civiliter in commodum suum, sed non in incommodum; atque ita statuit Jus positivum in favorem pupilli & in odium sic contrahentis cum illo, *Instit. De auctor. tutoris & De inutil. stipul. §. Pupillus, Item L. Julianus, 13. ff. De action. empt. L. Contra Juris, 28. ff. De pactis*, tenentque Juristæ & Theologi communissimè cum *Molina d. 224. & Onn. n. 48. Nec obstat* quòd alter non velit obligari, nisi etiam obligetur pupillus secundùm dicenda n. 709. nam dici potest cum *Onn. n. 54.* etiam vi contractus obligari pupillum, sed obligationem ex hac parte mox irritari à jure positivo, quod favorem legis alteri subtrahit & relinquit pupillo, ideoque obligationē postea manere ex parte solius alterius.

676 §. 11. Impuberes non obligantur civiliter ullo contractu circa quæcunque bona, quamvis contrahant ex consensu patris, §. *Sed quod, 10. Instit. De inutil. stipul.* Pupillus tamen auctoritate tutoris contrahens obligatur civiliter, ibidem §. 9., sed attendenda est limitatio n. 673. data: Ratio harum legū est, quia pupillo datur actio contra tutorem, si malè suaserit, qualem actionē non habet filius contra patrem. §. 12.

§. 12. Pupilli, si læsi sint per contractum vel passim incommodum, gaudent beneficio restitutionis in integrum intra 4. annos à completo anno 25., possuntque repetere rem vel pretium, de quo contraxerunt, cum fructibus, damnis & lucro cessante L. 7. Cod. *De tempor., in integ. restit.* Quòd si veniam ætatis obtinuerint, gaudent illo beneficio per 4. annos à die veniæ obtentæ, *Mol. & Lugo* n. 315.; si autem dolo vel justo impedimento fuerint impediti, potest hoc tempus suppleri postea; atque hoc beneficio uti possunt, sive tutorem habeant sive non, sive contraxerint cum auctoritate tutoris sive non; imò quamvis intervenerit iudicis decretum, L. 3. & seqq. *De in integ. restit.* L. 1. Cod. *De auctor. præstanda*, L. 1. & seqq. Cod. *Si tutor intervenerit*, aliisque locis apud *Onnate* n. 53. & *Lugo* n. 310.; neque nocent eis, quæ in incommodum suum in iudicio egerint; è contrà profunt quæ egerint in suum commodum. *Dixi*, si læsi sint &c. nam si læsi non sint, tenebuntur ad contractum obligatione naturali, non tantum ipsi, sed etiam tutores, *Onn.* n. 56. Quòd si rem, de qua extradenda contraxerunt, necdum extradiderint, v. g. si promiserint, vel ad creditum ludentes lusu extraordinario perdiderint pecuniam, possunt retinere, quia quando lex permittit repeti, tacite permittit retineri secundum dicenda n. 1087., & universaliter lex negans actionem ad aliquid petendum, simulque concedens possessori actionem ad repetendum, postquam solverit, dat facultatem possessori in utroque foro rem illam retinendi, nisi fortè juramentum accesserit, *Sanch.* n. 34. *Dicast.* L. 2. t. 3. n. 384. secundum reg. 71. juris

in 6., *Qui ad agendum admittitur, est ad excipien-*
dam, seu retinendum, multò magis admittendus
 quod *Lugo* n. 302. dicit verum esse, quamvis
 pupillus ex pudore non fuisset repetiturus in ju-
 dicio, quia utitur jure sibi concessio ad non sol-
 vendum. Vide dicenda etiam n. 1087. Plura de
 restitutione in integrum & rescissione contra-
 ctus videri possunt apud *Dicast.* dub. 16. & 17.
Lugo d. 22. f. 12. *Onn.* totâ disp. 22. per 6. sect. De
 Exceptione plura dicentur n. 704.

678 §. 13. Qui fecit contractum onerosum cum
 pupillo circa rem non immobilem & non pre-
 tiosam servari aptam, neque commisit dolum
 vel aliam injustitiam, potest stare contractu
 quamdiu pupillus vel ejus tutor non rescindit,
 enim non velint uti suo privilegio, jus naturaliter
 afficit ejusmodi contractibus, *Less. Laym. Tax.*
Mol. d. 224. in fine, *Sanch.* n. 30. & 31. *Onn.*
 4. n. 54. *Lugo* n. 295. Quòd si pupillus habet
 tutorem contrahat de rebus mobilibus, quæ sunt
 in quotidiano usu, v. g. aliqua donet, vel in
 creationes expendat juxta conditionem suam
Lugo n. 303. & *Onn.* n. 55. rectè dicunt tales
 contractus etiam jure civili validos esse, nec pos-
 se nequidem per sententiam judicis rescindi, qui
 prudenter præsumitur tacita licentia, vel saltem
 consuetudo derogavit legibus ejusmodi rescis-
 sionè permittentibus, eratque hoc utile pupillis
 quibus aliàs in nulla re fidere potuissēt homines.

679 §. 14. Quidquid à §. 5. hucusque dictum est
 de pupillis, valet etiam de minorennibus, qui cur-
 ratores habent, de utrisque enim est eadem ra-
 tio, L. 3. Cod. *De in integ. restit.*, docetque cum
 aliis *Sanch.* n. 19. & probat specialibus legibus

Onn.

Onn. d. 4. f. 4., sed sufficiunt dicta, si nomen pupilli & tutoris mutetur in nomen minorennis & curatoris. Excipit *Onn. d. 19. n. 303.*, si minorennis sua bona, etiam immobilia, necessariò distrahere debeat, ut solvat debitum, ad quod in conscientia obligatur; item si alicui in dotem aliquid donaverit; item si servum libertate donaverit &c. probatque hæc per leges.

§. 15. Si minorennis non habens curatorem 680
contrahat de rebus mobilibus etiam aliquantum pretiosis & non occurrentibus in quotidiano usu, obligatur naturaliter & civiliter, *L. Puberes, 101. ff. De verb. oblig. L. Si curatorem, 3. Cod. De integ. restit.* tenentque communiter AA. cum *Sanch. n. 30. Onn. d. 4. n. 66. & 81.*

§. 16. Minorennis potest à principe obtinere 681
veniam ætatis, id est, facultatem liberè administrandi res suas non obstante minore ætate, illâ tamen obtentâ adhuc non poterit alienare immobilia, aut constituere in hypothecam, & facultas illa concedi potest masculis priùs post 20., fæmellis post 18. annum expletum, si iudicio & moribus valeant; neque gaudent beneficio restitutionis in integrum circa ea, quæ postmodum disponunt: quæ omnia habentur *L. 1. & seqq. Cod. De his, qui veniam ætatis impetrarunt.*

§. 17. Prodigus non habens curatorem 682
contrahit validè naturaliter & civiliter, etiamsi foret notoriè prodigus, uti habet communis cum *Sanch. n. 20. & 27.*; habens autem curatorem, & absque illius autoritate contrahens facit contractus irritos, neque transfert dominium, uti habetur in pluribus legibus apud *Sanch. suprâ & Onn. à n. 89.* Quòd si administra-

tio bonorum specialiter fit ei interdicta à giudice, uti ordinariè interdicta censetur, teste *Lugo* 289. in fine, nequidem naturaliter obligabitur. *L. Is cui bonis*, ff. *De verb. oblig.*; hinc qui contrahit cum tali prodigo, tenetur restituere ante sententiam iudicis, etiamsi prodigus non repetat neque potest secum contrahentem cogere ad servandum contractum, quia in odium prodigi irritatur.

683 §. 18. Servi, Religiosi, Clerici, filii-familias uxores possunt contrahere circa materias, quarum habent dominium & administrationem; de his ultimis videri possunt dicta p. 1. q. 217. & 218.; qui autem plura volet, consulat *Onn. d. 4.* & quidem de servis f. 7. de Religiosis, f. 8., de filiofamilias, f. 11., de uxoribus, f. 12., & de his omnibus iterum plura affert d. 19. f. 3. Quoad Religiosos videri potest etiam *Castrop. tr. 16. d. pu. 15. & 16.* Quoad omnes verò supradictos, de etiam *Stryckium* de cautela contract. sect. 1. c.

684 §. 19. An & quomodo contractus celebrari possint illi, quorum bona sunt confiscata vel confiscanda, optimè resolvit *Sanch. in Dec. L. C. 21.*; videri possunt etiam *Mol. d. 95. Onn. d. 4.* An autem usurarius celebrare possit contractum, examinat *Onn. sect. 10.*, sed cum rarò serviant ad praxin, omitto.

685 Q. 108. Qualis debeat esse materia, de qua contrahitur. R. Debet esse possibilis, saltem in se existens, honesta, propria, certa, non prohibita, quæ omnia jam explicabuntur: & potest de eis videri *Stryck. de caut. contr. f. 1. c. 3.*

§. 1. Contractus circa rem impossibilem est jure naturæ irritus, *L. 35. ff. De verb. oblig. L. 3. ff. De*

De Reg. juris, & alibi apud *Onn.* d. 5. n. 232. Ratio est, quia si contrahentes sciant esse impossibilem, non possunt serio & efficaciter habere consensum; quamvis autem intendere vellent se obligare, tamen inutilis esset illa voluntas, cui per nullam legem assisteretur: si autem nesciant esse impossibilem, est error in substantia. *Nec obstat*, quòd conditio impossibilis adjecta non vitiet aliquos contractus; nam stando in jure naturæ vitiet omnes, contractus enim conditionatus non obligat, nisi positâ conditione, quæ hic nunquam poni posset; nihilominus jus positivum voluit, ut in quibusdam contractibus, v. g. Matrimonio, institutione hæredis, fideicommissio, donatione mortis causâ, conditio impossibilis adjecta habeatur pro non adjecta, tum quia præsumitur non fuisse serio adjectam; tum etiam quia in contrahentibus præsumitur fuisse voluntatem universalem contrahendi secundum leges, quæ cum disponant, ut talis conditio habeatur pro non adjecta, etiam volunt habere pro non adjecta, & hæc voluntas universalis prævalet; jus autem positivum sic non disponit in aliis contractibus, ergo in his non potest præsumi adesse voluntatem sufficientem ad contractum, *Mol.* d. 206. Adde, quòd licet per conditionem impossibilem non vitietur contractus, attamen vitietur per materiam impossibilem, sicuti quamvis non vitietur per errorem in qualitate, vitietur tamen per errorem in substantia.

§. 2. Materia contractûs debet esse moraliter possibilis, id est, talis, ut non tantum absolute fieri possit per vires naturæ, sed etiam ut

Dd 3

con-

consideratâ imbecillitate humanâ non censetur superare vires nostras , quia nemo censetur in aliam obligationem consentire , cùm nec lege positivæ ordinariè obligent ad aliquid moraliter impossibile , secundùm dicta L. 1. n. 781. ; hinc si quis contraheret de capiendis omnibus piscibus maris , contractus esset irritus.

687 §. 3. Quando materia contractûs est partim possibilis partim impossibilis , valet contractus si materia sit divisibilis , & consensus feratur divisibiliter , uti si contraxeris de tradendis 100 modis tritici , & non possis habere nisi 50 contractus valet de 50. , è contrâ si materia sit indivisibilis , vel consensus feratur indivisibiliter , contractus est irritus , hinc si emeris duos equos pro rheda , & venditor tradere non possit utrumque , contractus de altero est irritus.

688 §. 4. Contractus de aliquo, quod non est in re, nec in spe, est irritus , quia vel non est rursus consensus , vel est error in substantia , §. 1. dictum est , & clarè habetur §. 1. Inst. de inutil. stipul. L. 1. §. De oblig. L. 8. ff. De reser. vendit. aliisque apud Onn. n. 246. Quòd si partim sit, partim non sit, spectanda est intentio contrahentium , & loquendum secundùm dictum §. 3. , ubi tamen jus positivum , L. Domum, §. 1. De contrah. empt. statuit , ut si res , quæ intendebatur , existat saltem ex medietate , v. g. si domus vendita ex media tantùm parte comburatur , valeat contractus , sed diminuatur pretium ; si non existat nequidem ex medietate , contractus sit irritus.

§. 5. Si contraham de re, quæ est in spe, v. 689.
 g. si vendam poma, quæ colligam in autumnno, singula maldera ad unum aureum, si hæc poma suo tempore non existant, patet contractum esse nullum, quia materia illius erant ipsamet poma, quæ nunquam sunt: è contrà si vendam spem, quæ & qualis nunc est, ad omnia poma meæ arboris, quamvis nullum crescat pomum, venditio valet, L. *Nec emptio*, §. ff. *De contrah. empt.* aliisque apud *Onn.* n. 252., & sic venditur spes per jactum retis, per casum aleæ &c. Excipitur emptio hæreditatis in spe, quæ, antequam moriatur testator, irrita est, ne detur votum captandæ mortis, L. *fin.* ff. *De pactis*: & eadem est ratio de contractibus ad succedendum viventi, *Onn.* n. 258., item emptio hominis liberi, pro tempore, quo erit servus, est irrita, quia non est fas hujusmodi casus exspectare, §. 5. L. 83. & L. 103. ff. *De verb. oblig.* item §. 2. L. 34. ff. *De contrah. empt.* Vide hinc n. 940.

§. 6. Contractus de re illicita est omni jure 690
 irritus, & quidem jure naturæ, quia non potest dari obligatio ad peccandum, neque ad illud, ad quod omittendum antecedenter est obligatio, contractus enim non debet esse vinculum iniquitatis, uti nec votum vel juramentum, quæ tamen de se sunt magis obligativa quàm contractus. Similiter jure Canonico & Civili apud *Onn.* n. 268., hinc quidquid prohibitum est lege naturali, divinâ vel humanâ obligante in conscientia, de illo non valet contractus: Quod si aliquid lege tantum pœnali fit prohibitum, poterit de illo fieri contractus, est enim

res de se licita, quam potest quis etiam per legem
facere, si se ad pœnam resolvat, leges enim po-
nales non prohibent determinatè talem actio-
nem, sed sub disjunctione volunt vel omittit
ctionem vel subiri pœnam, *Onn. n. 266.*

691 §. 7. Quamvis contractus de re illicita sit
validus, potest tamen contractus illicitus esse
validus, uti si quis emat gladium ad occidendum
alterum: deinde si in se sit prohibitus fieri, & ta-
men supposito quòd fiat, non irritetur, secun-
dùm regulam juris, multa fieri prohibentur,
quæ tamen facta tenent, & talis est venditio ar-
morum facta hosti patriæ, Ratio horum est, quia
materia talium contractuum illicitorum non est
res illicita, materia enim illorum sunt gladius
arma, quæ non sunt res illicitæ, è contrà si per-
ciscerer & vellem me obligare ad sic vendendum
gladium aut arma, hoc pactum esset irritum
quia pro materia haberet venditionem illicitam.

692 §. 8. Quamvis contractus de re illicita sit
irritus, tamen supposito quòd unus partem suam
expleverit, quæ illicita erat, est, de jure naturali
saltem, obligatio, ut etiam alter suam expleat
si licita sit, v. g. conductio ad injustum; homici-
dium est irrita, attamen si conductus patrârit ho-
micidium, conductor tenetur ei dare pretium
de quo contraxit; & idem est de contractu cum
meretrice, item cum Judice, ut ferat impar-
stam sententiam, ratio est, quia in his inter-
venit duplex contractus, unus absolutus faci-
endi rem illicitam, & hic nunquam valet ne-
obli-

obligat, neque ex hoc oritur obligatio postea dandi pretium, imò est obligatio reddendi pretium, antequam res condicta sit posita: alter contractus est conditionalis & dicit, si hic suam partem impleverit, alter etiam tenebitur implere suam, sicuti possum vovere aut etiam per contractum promittere, si iterum peccavero, dabo tibi elemosynam: talis autem contractus prius perficitur positâ conditione turpi, & hac suppositâ licitum est dare pretium pro actu, qui ob molestiam, detrimentum vel periculum facientis, aut ob delectationem vel aliud commodum illius, in cujus gratiam fiebat, erat pretio isto æstimabilis, oriturque obligatio ex vi consensûs ut sequentis, & non ut antecedentis conditionem illicitam, *Mol. d. 94.* aliique communiter cum *Onn. n. 276. Dixi*, saltem de jure naturæ, nam licet jure positivo etiam valeat in contractu, quo meretrix dedit usum sui corporis, uti habetur *L. Idem, 4. ff. De condit. ob turpem causam*, tamen in aliis materiis non est ita certum, unde licet communiter omnes contra *Medin.* fateantur post opus turpe expletum oriri obligationem illam ex jure naturæ, tamen *Covar. Amic. & Platel. n. 589.* dicunt jus positivum resistere, ne oriatur, quia *L. Si flagitij, 123. ff. De verb. oblig. negat actionem*, etiam si opus turpe sit expletum. Vide dicenda n. 794.

Obj. Promissio, si occideris Titium, dabo tibi aureum, est contractus sub conditione turpi, qui nunquam obligat, nequidem prout est conditionalis, ergo similiter de aliis. *R.* Si fiat sub conditione ponenda c: si fiat ex suppositione

D d 5

condi-

conditionis positæ, n: Itaque si promissio sit in-
tentiva occisionis, nunquam valet, si sit suppo-
sitiva, valet, præsumitur autem esse suppositi-
vam, quia standum est pro valore actûs: è contri-
tamen in hoc, *dicam te, si pater meus fuerit*
mortuus, jus præsumit conditionem esse in-
tentivam mortis paternæ, hiñc absolutè ir-
ritat.

Inst. Obligatio dandi aureum deberet esse ex
contractu, sed non potest esse ex contractu. quia
hoc nõ potest esse validè contractum, quod nun-
quam potest validè contrahi, sicuti hoc nõ potest
esse validè venditum, quod nunquam potest
validè vendi, tale autem pretium nunquam po-
test validè contrahi, & talis actio occisiva nun-
quam potest validè vendi, ergo nunquam po-
test esse validè emptæ aut venditæ, ergo nun-
quam exemptione potest esse obligatio solven-
di. *Conf.* Qui illicitè accipit pretium, illicitè re-
net, sed talis illicitè accipit pretium ante opus
expletum, ergo & illicitè retinet. R. Est validè
contractum ex suppositione operis, & de hoc ce-
rat contractus conditionalis. Ad *Conf.* Ergo &
illicitè retinet, ante opus expletum, C. post opus
expletum N. Conseq.

694 §. 9. Materia contractûs debet esse propria
illius, qui per contractum transferre debet ali-
quod jus in alterum, quia nemo plûs juris trans-
ferre potest, quàm ipse habeat, Reg. 79. De reg.
juris in 6., Reg. 54. ff. *Eod. tit.*, item, *Id, quod no-*
strum est, sine factò nostro ad alium transferri non po-
test, Reg. 11. *ibid.* Attamen si emptor malâ fide
emat rem alienam, & venditor nesciat esse alie-
nam,

nam, L. 28. ff. *De contrah. empt.* statuitur, ut dominium pretii transeat ad vendentem, & in tantum validus sit ipse contractus, idque in favorem veri domini, ut magis habeat, unde rem suam vel ejus pretium recuperare possit, dominium tamen rei non transit ad eumentem, nam lex addit rem emptori auferri posse. Quod si uterque sciret rem esse alienam, contractus est nullus, §. 3. l. 34. *ibid.* Denique si neuter, aut solus vendens hoc sciret, etiam nullus foret contractus, emens enim non vult transferre dominium pretii, nisi obtineat dominium mercis, quod in his casibus non fieret.

§. 10. Quamvis res nunc non sit propria, potest tamen, per se loquendo, de ea contrahi pro tempore, quo erit propria, L. *Si rem meam*, §. 1. ff. *De verb. oblig.*, sic equus, quem emi prius in annum sequentem, potest jam vendi alteri, quia hæc venditio respicit equum pro tempore, quo erit meus; similiter potest quis contrahere de actione aliena, v. g. faciam, ut Titius te instruat in medicina, obligando ad pœnam, vel quanti æstimaretur illa instructio, si non fiat, §. 2. l. 38. *ibid.*

§. 11. Si vendam rem mihi communem cum aliis, v. g. gregem ovium indivisum spectantem ad me & duos fratres meos, valet venditio pro tertia parte, quæ mea est, L. *Sed si communis*, 18. ff. *De contrah. empt.*

§. 12. Materia contractus debet esse aliena respectu illius, qui eam per contractum debet acquirere, §. 2. & 21. *Instit. De inutil. stipul.* L. 82. ff. *De verb. oblig.* & Reg. 45. ff. *De reg. juris*, Ratio est,

est, tum quia venditio rei alienæ est nulla, ut dictum est, ergo & emptio rei suæ; tum etiam quia finis contractûs est acquirere aliquid, quod non habes, ergo si jam habes, cessat finis contractûs: possum tamen contrahere pro accipiendo, v. g. usufructu rei meæ, si sim tantum dominus directus, item pro recipienda possessione, item pro recipienda re mea, quam alter detinet, uti expressè habent Leges apud *Omni.* n. 315.

698 §. 13. Materia contractûs tum dicitur certa, quando exactis vel dictis vel lege vel saltem ex circumstantiis constat, quid, qualis & quanta sit, *L. Stipulationum, 74. ff. De verb. oblig.*, è contractum est incerta, si hoc non constet, sed tantum in genere dicatur, v. g. vendo fundum, emo vinum, promitto, non determinando, nec qualem fundum, nec quantum vini, nec quid promittat; item materia incerta est, si duo, v. g. servorum unus venditur, sint ejusdem nominis, & neuter determinetur; item si contrahatur sub disjunctione, vendo bovem vel equum: item si significatio sit æquivoca, uti vendo mulum, & nesciatur, an mulum piscem, an mulum quadrupedem; item si non addatur vel determinetur pretium.

699 §. 14. Contractus de materia incerta est nullus, si reduci non possit ad certitudinem, *L. 74 & 75. ff. De verb. oblig.*, ratio est, quia finis contractûs est, ut voluntate contrahentis transferatur dominium rei conventæ, sed si de hac non constet per externa signa, non poterit transferri dominium secundum dicta n. 654. ergo nec valebit

lebit contractus. Potest autem materia incerta reduci ad certitudinem, v. g. si tibi promiserim sub disjunctione, relinquens tibi electionem, tu eligens, materiam reddes certam, L. 75. §. 8. & L. 76. *suprà*; Item si per eventum conditionis res fiat certa, vel per declarationem aut arbitrium tertii, cui partes committunt &c. Attamen ille, cuius arbitrio interpretatio committitur, non debet promissorem gravare ultra verba, unde electio potius relinquenda est promittenti, & eligendum, quod minus gravat possessorem sive debitorem: deinde debet arbiter præsumere, quòd rationi & menti contrahentis videtur conformius. Possunt de hæcenus dictis videri plura apud *Onn.* d. 5. f. 6.

§. 15. Specialiter per jus prohibentur & irritantur alienationes bonorum Ecclesiasticorum 700 immobilium & mobilium pretiosorum, quæ servando servari possunt, nisi fiant cum consensu Papæ & sub certis conditionibus, uti habetur in *Extrav. Ambitiose*, inter communes L. 3. tit. 4., potestque videri *Dicast.* L. 2. t. 3. dub. 15. & iterum pluribus t. 15. d. 1. dub. 6. & addemus aliqua L. 4. à n. 1363. Quæri posset hæc, an & quomodo fieri possit contractus circa res spirituales, sed hoc intelligitur ex dictis de simonia hæc p. 1. q. 15. & *seqq.*

Q. 109. *Quinam sint effectus contractuum.* R. 701
Præcipui sunt hi 17., obligatio, actio, exceptio, periculi & commodi translatio, damnum moræ, compensatio, traditio rei conventæ, translatio domini vel partis domini, possessio juridica, solutio, potestas præscribendi, interdicta posses-

possessoria, vindicatio rei, restitutio, evictio, ædilitiæ actiones, restitutio in integrum, de quibus fusissimè agit *Onn.* à d. 7. usque ad 11., et quibus breviter colligam ea, quæ ad institutum nostrum serviunt.

702 §. 1. Obligatio, est juris vinculum, quo necessitate constringimur alicujus rei solvendæ seu præstandæ, *Instit. De oblig. initio, & L. 3. ff. Eod. tit.* Obligatio naturalis est, quâ constringimur secundùm jus naturale; civilis, quâ secundùm jus civile; mixta, quâ secundùm jus utrumque constringimur: & universaliter, qui obligatur ad aliquid, dicitur debitor, qui autem alterum sibi obligat, dicitur creditor, *L. 10. & 11. De verb. signif.* Et quamvis obligatio in fieri pendeat ab utriusque voluntate, tamen in conservari, seu ut permaneat, dependet à voluntate, non obligati sed obligantis; unde si quis contrahat sub hac conditione, *si volam*, contractus est nullus, *L. 8. ff. De oblig., L. 17. ff. De verb. oblig.* Similiter si acceptatio fiat sub hac conditione, *accepto, si volueris*, non fit contractus, quia nulla oritur obligatio in altero; aliud est, si diceret, *accepto, si velis me acceptare*, quia tum purificatur conditio de præsentis, qui enim contractum offert, ille vult seu permittit ab altero acceptari, *Lugo d. 23. n. 61.*

703 §. 2. Actio, est jus persequendi in judicio, quod sibi debetur, *Instit. De actionibus, & L. 5. ff. De oblig.*; actualis autem petitio, apud Juristas non dicitur actio, sed processus judicialis vel instantia. Actio, alia est bonæ fidei; alia stricti juris: bonæ fidei sunt, quæ fundantur in contractibus

ctibus bonæ fidei, de quibus dictum est n. 583., & sunt septendecim enumeratæ in Instit. *De act.* §. *Actionem*, in quibus nempe Judex ex æquo & bono æstimare debet, quid fieri debeat. Stricti juris sunt reliquæ, in quibus Judex procedere debet secundum verba & rigorem. Præterea alia actio est realis, alia personalis; realis est, quâ rem ipsam convenimus, ubicumque illa sit, quia nempe jus in ea habemus, ideoque dicitur vindictio rei; personalis est, quâ convenimus personam, eò quòd habeamus tantum jus ad rem, quam aliter detinet, & ideo dicitur condictio personæ; & hæc divisio actionis fusè traditur Instit. à §. *Namque.* 4. Quinam autem contractus specialiter causent actionem pro foro externo, dictum est n. 584 & 586.

§. 3. Exceptio, est exclusio intentionis agentis, inquit *Ulp. L. 2. ff. De except.*, idest, exceptio est jus ad excludendam actionem & ad se tuendum in possessione rei contra oppugnantem; unde sicuti actiones sunt arma offensiva oppugnantium, ita exceptiones sunt arma defensiva repugnantium; & quia actio plerumque fundatur in regula aliqua generali juris, hinc qui se defendit, dicitur opponere exceptionem illius regulæ, v. g. hic petit solutionem per actionem, *Ex vendito*, ille excludit ipsum per exceptionem, *De soluto pretio*, quod probare debet, unde reus in exceptione est actor: Quòd si primus actor instet contra hanc exceptionem, erit exceptio exceptionis, & in jure dicitur replicatio; si reus iterum contra hanc instet, dicitur triplicatio; si actor iterum, dicitur quadruplicatio, &

&

& ita deinceps, uti habetur L. citatâ. Aliæ exceptiones dicuntur dilatoriæ seu temporales, quæ non planè tollunt sed differunt actionem, uti Clericus postulatus de debito excipiat contra actorem, qui se vocat ad forum sæculare; debentque hæc opponi ad initium litis, alioquin postea non audiuntur, L. 13. Cod. De except. & L. 19. Cod. De probation. Aliæ exceptiones dicuntur peremptoriæ seu perpetuæ, quæ semper locum habent, uti si probet se nihil debuisse, vel se solvisse, quæ aliaque habentur L. 3. & seqq. ff. De except., item Instit. Eod. hoc tit., ubi etiam variorum genera exceptionum recensentur: admitti tamen non debent post latam sententiam, ne litæ in immensum protrahantur, nisi sit exceptio falsi, id est, nisi probetur falsum esse allegatum, cui innititur sententia, quæ exceptio semper auditur: An autem ille, qui potest excipere & repetere debitum solutum, etiam possit non solvere, vide dicta n. 677. & dicenda n. 1087.

705 §. 4. Periculum & commodum pertinent ad dominum rei, res enim perit vel fructificat domino suo, hinc per quos contractus transfertur dominium, per eosdem transfertur periculum & commodum: speciale tamen aliquid est in emptione & venditione, nam quamvis dominium non transferatur in emptorem, sed maneat apud venditorem, donec res empta sit tradita, tamen emptione perfectâ periculum & commodum rei transit ad emptorem, nisi aliter convenissent, §. Cum autem, 3., Instit. De empt. & vendit., L. Id quod, 7. ff. De periculo & commodo, L. Post perfectam, 1. Cod. Eod. tit., Excipe, nisi venditor esset in mora tradendi, tum enim ad ipsum pertinet

pertinet periculum, L. 17. ff. De periculo & comodo, & L. 4. Cod. hoc tit., item nisi venditoris culpâ res periisset, vel esset deteriorata, cum enim emptor rem in potestate sua non habeat, æquum fuit obligari venditorem ad custodiam majorem quàm ipse rebus suis præstet, L. 2. & 3. ff. Eod. tit., hinc Onn. d. 7. n. 183. putat teneri compensare damnum causatum ex culpa levissima, ne aliàs detur occasio fraudibus: expensas tamen interim factas pro custodia solvere debet emptor, uti ex jure probat Onn. n. 186. Dixi, emptione perfectâ, nam si emptio necdum sit perfecta, periculum & commodum pertinet ad venditorem, uti quando venditio fit ad mensuram, & mensuratio necdum est facta, L. 1. ff. & L. 2. Cod. eod. tit. Item si res vendatur ad degustationem, & degustatio necdum sit facta, v. g. in vino, L. 1. & 4. ff. eod. tit. Vide dicenda n. 983.

§. 5. Mora, est transgressio culpabilis diei in contractibus statuti pro executione, quam moram quis committit, si nempe sit verum debitum, quod non ignoretur, pro quo in talem diem facta sit interpellatio, nec possit interpellanti legitima exceptio opponi: de quibus tamen conditionibus, præsertim de interpellatione, videri potest Onn. d. 8. à n. 14. Quòd si quis commiserit ejusmodi moram, tenetur adhuc implere contractum; compensare damnum emergens & lucrum cessans, suscipere in se periculum rei, denique pœnas lege vel ex mutua conventionem statutas solvere.

§. 6. De compensatione dictum est à n. 455. 707. Quæ autem condiciones adesse debeant pro occulta compensatione, dictum est p. 1. à n. 959.

708 §. 7. Traditio, est rei vel juris vel possessionis de persona ad personam translatio, *Tusch. V. Traditio* Concl. 341. n. 1. Differt à datione, quòd hæc transferat dominium, non item traditio, nam possum aliquid alteri tradere tantum ad usum vel in depositum &c., qui non ideo acquirit dominium; neque traditio est jus, sed factum externum & conditio requisita ad translationem alicujus juris vel possessionis: Est autem traditio alia vera alia ficta, uti & apprehensio possessionis, secundum dicta n. 508., nam traditioni respondet apprehensio, & quæ ibi de hac dicta sunt, debent cum proportionem applicari traditioni, potestque videri etiam *Onn. d. 9. à n. 198.* Ordinariè autem necessaria est traditio aliqua ad translationem domini, *L. Traditionibus, 20. Cod. De pactis*, si enim res nullo modo sit tradita, non est potestas ad usus rei, ergo nec dominium. *Dixi*, ordinariè, quia quædam dominia acquiruntur ex dispositione juris sine ulla traditione, de quibus videri potest *Onn. n. 201. & iterum à n. 230.*

709 §. 8. De translatione domini sufficiunt dicta sparsim à q. 22., item q. 32. & 55.; hic addendum, quatuor requiri ad translationem domini per contractum, nempe traditionem aliquam, ordinariè loquendo, uti jam dictum est, deinde voluntatem in uno conferendi, in altero acquirendi dominium; præterea titulum, v. g. donationem, emptionem &c. denique ut alter ex sua parte contractum etiam impleat, v. g. solvendo pretium, aut sufficienter cavendo pro illo, nam contractus onerosus quasi imbibit hanc conditionem, volo, si tu tuum vicissim præstiteris.

§. 9.

§. 9. De possessione juridica, sufficiunt dicta 710
n. 507 & 508.: De solutione dicitur n. 756. De
prescribendi potestate dictum est q. 100.

§. 10. Interdictum possessorium est adju- 711
mentum adipiscendæ, retinendæ aut recuperan-
dæ possessionis: dicitur interdictum, non quod
per illud semper aliquid prohibeatur, sed quia
dicebatur ad interim, usquedum innotesceret do-
minus rei, uti vult *Haun.* n. 310.; vel potius, uti
vult *Mol.*, quia à Prætoribus inter duos litigantes
dicebatur: Est autem multiplex, 1. *Quorum bono-
rum*, per quod hæres adiens hæreditatem obtinet
primam possessionem hæreditatis contra quem-
cunque alium possessorem in iis, quæ defunctus
tempore mortis possidebat: putat quidem *Haun.*
à n. 229. illum indigere novâ corporali apprehensione, eò quod possessio sit aliquid distinctum
ab hæreditate, sed contradicunt alii. Quod si hæ-
reditas fuisset antea naturaliter possessa per ali-
um, v. g. colonum, qui permaneat in ea hæredi-
tate, non indigebit novâ apprehensione, uti fa-
tetur *Haun.* n. 241. 2. *Quorum legatorum*, per quod
hæres obtinet possessionem omnium legatorum,
à quibus fortè esset detrahenda falcidia, idest, 4.
pars hæreditatis per L. falcidiam hæredi attribu-
ta. 3. *Salvianum*, per quod dominus fundi obti-
net possessionem eorum, quæ conductor in fun-
dum infert, quia eo ipso fiunt ipsi tacitè obligata
pro pensionibus. 4. *Uti possidetis & utrobi*. Per, uti
possidetis, conservatur ille in possessione rei im-
mobilis, qui tempore litis verisimiliùs inveni-
tur possidere, dummodo non possideat vi, clam
aut precario. Per *utrobi*, conservatur talis in pos-
sessione rei mobilis. 5. *Unde vi aut clam & precario*,

Et 2

per

per quæ quis restabatur in possessionem, si pro-
bet alterum, qui possessionem invasit, vi acce-
pisse, vel clam, vel tantum per preces obtinuisse
ad tempus. De his omnibus adducit leges & fu-
torem explicationem *Mol. d. 16.*, adhuc autem
fusiùs de illis disputant *Onn. d. 10. f. 1. & 2.*
& *Haun. à n. 310.*, ubi à n. 363. fusè discutit, et
interdictum, *Unde vi*, faveat notorio prædoni,
qui notorium dominum fundi vi è possessione
excluserat, putatque favere, licet alii plures ne-
gent.

712 §. 11. Vindicatio, est actio realis ad perfe-
quendum in iudicio rem suam quoad domini-
um & possessionem, sive est actio, quâ quis rem
suam liberat de potestate alterius, apud quem est
unde ad hanc actionem requiritur, ut actor
dominus rei, habeatque possessionem civilem
& ut is, contra quem agit, detineat rem corpo-
raliter. Ad vindicationem reducitur *publiciana*
actio, sic dicta à *Publicio* prætore, qui hanc instituit
L. 9. ff. De publiciana in rem actione, ut nempe
bonâ fide cum titulo aliquo possedit rem ali-
quam, non acceptam ab ipso domino sed ab alio
putavitque esse suam, si hæc ipsi erepta sit, possit
in iudicio reposcere ab alio, qui eam possidet sine
titulo.

713 §. 12. De restitutione ratione injuriæ vel da-
mni per contractum causati, dictum est q. 1. *de
seqq.*

714 §. 13. Evictio est actio, quâ reditur ad aucto-
rem contractus pro interesse rei ab alio evicta
v. g. emi à te agrum, qui tamen non erat tuus
sed Titii, & quia Titius per sententiam iudicis
sibi iterum evincit hunc agrum, tu teneris de illi
evi-

evictione, id est, quamvis contractus fuerit invalidus respectu translationis domini, tamen fuit validus hoc sensu, quod ex illo obligeris ad reddendum mihi pretium, compensando simul damna emergentia & lucra cessantia: & talis evictio sequitur etiam ad permutationem, cambium, mutuum, pignus, societatem, locationem aliosque similes contractus onerosos, de quibus habentur leges ff. & Cod. *hoc tit.*

§. 14. *Ædilitiæ actiones* sunt, quæ dantur, 715
quando res, de qua fuit contractum, est vitiosa. Dicuntur *ædilitiæ*, quia leges pro illis primò latæ sunt Romæ ab ædilibus, id est, conservatoribus sacrarum ædium, qui etiam vocabantur *Curules*, quia pro majori majestate sui muneris gestabantur Curru vel sede eburneâ. Tres autem sunt ejusmodi actiones, 1. dicitur *Redhibitoria*, per quam fit, ut qui rem vitiosam tradidit, illam totam rehabeat, id est, iterum habeat, & alter similiter pretium. 2. dicitur *Quantiminoris*, per quam fit, ut si ille, qui tradidit, nolit recipere rem vitiosam, tantum subtrahatur de pretio quanti minoris res erat æstimanda. 3. dicitur *In factum*, per quam ille, qui rem vitiosam tradidit, si utrumque detrectet, ad alterutrum compellatur, de quibus omnibus habentur multæ leges ff. *De ædilitio edicto*, & Cod. *De ædilitiis actionibus*, habentque hæ actiones locum, non tantum in emptione & venditione, sed etiam in permutatione, locatione aliisque commutationibus. Quod si læsio non sit facta ultra medietatem justipretii; L. 2. Cod. *De rescind. vendit.* statuitur, ut locus non detur redhibitoriæ, nec rescindatur contractus, manet tamen actio quanti minoris, seu ob-

ligatio minuendi pretium : ad hanc autem actionem, uti & ad 3. requiritur, ut vitium sit alicuius momenti, & adfuerit, quando res erat apud illum, qui transtulit, fueritque latens, quod transferens manifestare debuerit, quæ omnia habentur ff. & Cod. suprâ; neque iuvat, si dicat, vendidisti tibi rem vitiosam sicuti est, nam etiam his verbis subesse potest dolus, vel si fiat bonâ fide, subesse potest saltem error in substantia dans causam contractui: si autem fuerit læsio ultra dimidium de hoc diximus n. 624. in fine, & dicitur n. 999. Quando nam & quibus specialiter detur restitutio in integrum, aut potestas resiliendi à contractu, insinuatum est n. 677. & videri possunt ibi notati.

716 Q. 110. *Quid dicendum sit de contractibus, quibus omittitur solennitas aliqua requisita.* R. Si adhuc vigens ad contractum vel dispositionem aliquam requirat certam solennitatem, formam vel modum contrahendi, & hic omittatur certum est ejusmodi contractum vel dispositionem esse irritam, nec parere actionem pro foro externo: solum dubium est, an quando aliter constat de voluntate contrahentis vel dispositis, valeat de jure naturæ, & pariat obligationem pro foro conscientie, pro quo resolvendum fit,

§. 1. Plures de hoc sunt sententie, nam Bald. Covar. Bonac. Vasq. Ledes. Beja p. 1. Cas. Dicast. L. 2. T. 2. dub. 8. Haun. T. 8. n. 184. alii 20. apud Lugo d. 22. n. 250. absolute negant quibus Lugo à n. 257. multum favet. 2. Inn. Ab. Bart. S. Anton. Panorm. Regin. Fill. aliique plures

mi apud *Lugo* n. 249. absolute affirmant: 3. *Sotus*, *Bann. Lop. Henriq. Laym. Tann. Sanch.* in *Consil.* L. 4. c. 1. dub. 14. aliique multi dicunt in tantum valere, quod possessor possit retinere, donec per sententiam condemnetur; post sententiam dicunt teneri extradere. 4. *Clarus, Mol. Sa, Wading. Less.* L. 2. C. 19. dub. 3. aliique valde multi dicunt testamenta & alias ultimas voluntates obligare in conscientia, quamvis fiant sine solennitatibus, non item reliquos contractus. 5. *Fls. r.* 4. d. 2. n. 482. & alii, quos citat, putant testamenta ad causas profanas sine solennitatibus esse invalida; codicillos autem, legata & fideicommissa dicunt esse valida, etiam pro foro externo.

§. 2. Valde probabile est, quod ultimæ voluntates obligent saltem in Conscientia, quamvis fiant omissis solennitatibus, quas jus civile requirit. Probatur, nam de dispositionibus defuncti pro suis prolibus ita statuitur L. 21. §. *Ex imperfecto*, *Cod. De testamentis.* De fideicommissis hæredi impositis habetur §. ult. *Instit. De fideicommiss. hæredit.*, item L. 2. & 32. *Cod. De fideicommiss.* De relictis ad pias causas sive per testamentum sive per legata, uti notat *Dicast.* n. 146. & 151., habetur *Cap. Relatum*, 1. *De testam.* Idem statuitur universaliter de legatis L. 16. *Cod. De testam.* Idem fatetur *Lugo* n. 259. de donationibus mortis causâ: denique *Cap. Cum esses.* *De testamentis* elecernit Pontifex absolute, quamvis desit subscriptio 7. vel 5. testium, uti requirit jus Civile, attamen debere censi valida, si constet de voluntate testatoris, v. g. per parochum & tres vel duos testes, ideoque prohibet, ne quis audeat

Ee 4

hujus-

hujusmodi testamenta rescindere. Ratio esse potuit, quia cum ultima voluntas sit maximè seria, & re ipsa nunquam mutanda, meritò leges voluerunt permanere illi obligationem saltem naturalem. Videri potest *Less.* suprà, ubi plures rationes affert.

718 *Obji.* 1. Si ex legibus civilibus rectè probetur omnes ultimas voluntates obligare in conscientia, ergo omnes obligabunt etiam pro foro civili ita *Lugo* n. 258. *R.* N. seq., quia leges civiles quandoque tantum innuunt esse obligationem in conscientia, & superaddi etiam obligationem pro foro civili, si aliquid aliud accedat, v. g. hæres fateatur talem fuisse voluntatem defuncti aut si sciens talem fuisse nolit jurare se nescire quòd fuerit talis, uti rectè advertunt *Mol. Leg.* & *Dicast.* n. 137.

719 *Obji.* 2. Si testamentum non solenne obligaret in conscientia, ergo quod ex illo solutum esset, repeti non posset, est enim regula communissima juris, id repeti non posse, quod obligatione naturali solutum est, atqui per leges datur actio repetendi ejusmodi solutum, ergo. *R.* Repeti non posset, vi juris canonici aut naturalis C., vi juris civilis, N., quamvis etiam vi juris civilis possit repeti, quia jus civile supponit repetentem nescire de voluntate testatoris, tamen si aliunde constet de illa, manet obligatio in conscientia iterum solvendi, sicuti fur vi juris civilis potest equum furtivum vi possessionis naturalis, quàm habet etiam à domino equi repetere, quàmvis dominus non probavit esse suum, quàmvis semper

femper in conscientia maneat obligatus ad restituendum domino equum.

Obji. 3. L. 21. §. Ex imperfecto, Cod. De test. 720
 dicitur, quòd testamentum sine scriptura & solennitate factum à parentibus in favorem prolium & personæ extraneæ, non valeat respectu personæ extraneæ, sed quòd huic relictum est, accrescat prolibus, ergo proles salvâ conscientia retinere possunt hoc, quod relictum erat personæ extraneæ. R. Dicitur, quòd accrescat prolibus, spectato jure civili, C., spectato jure Canonico & naturali, N. antec. & conseq.; unde à potiori dicendum est cum Covar. Mol. Sanch. Less. Dicast. n. 150. contra Lugo n. 274., si quis sine solennitate, per testamentum disponat principaliter ad causam piam & minùs principaliter ad profanam, valere etiam quoad profanam saltem spectato foro conscientia.

§. 3. Reliqui contractus facti sine solennitate videntur esse irriti vel saltem irritabiles: Probat, quia jus potuit tales contractus ita antecedenter irritare, ut nequidem pro foro conscientia tenerent, sic enim Trid. sess. 24. C. 1. de Reform. irritat contractum Matrimonii factum sine solennitate testium; ergo cum absolutè dicat se irritare, & alibi non significet se relinquere obligationem pro foro conscientia, meliùs dicitur irritari pro utroque foro, nisi tamen solennitas omissa esset omnino levis, uti cum aliis notant Bartolus & Lugo n. 279., nam hic datur etiam parvitas materiae. Dixi, aut saltem irritabiles, nam leges sæpe faciunt, ut contractus sint tantùm irritabiles ad arbitrium illius,

qui damnus passus est, uti contractus pupillorum, si fiant sine auctoritate tutoris, quorum obligationem naturalem jus non tollit, attamen relinquit potestatem eam tollendi, uti dictum est n. 675.

722 *Obj. 1.* Jus irritans contractum sine solennitate factum fundatur in præsumptione fraudis, ergo ubi constat nullam fraudem subesse sed verè adfuisse voluntatem contrahentis, erit semper obligatio, saltem pro foro conscientiæ. *R.* Fundatur in præsumptione particulari fraudis in hoc vel illo contractu, N., in præsumptione generali, seu in periculo fraudis, quæ communiter solet subesse, aut cui datur occasio per ejusmodi contractus, C. ant. & N. consequenter hæc enim præsumptio semper est vera & semper manet.

723 *Obj. 2.* Dicitur est n. 671., quòd contractus v. g. pupillorum initi sine auctoritate tutoris obligent in conscientia, ergo etiam dicendum esset, quòd omnes contractus initi sine solennitatibus obligent in conscientia. *R.* N. consequenter, pro prioribus contractibus attulimus fundamenta ex ipsis legibus, tale nihil dicitur de plerisque aliis contractibus initi sine alia solennitate, sed dicunt absolute esse irritos, neque alibi concedunt illis rescindibilitatem, nec inquirendum est, cur lex hoc & non illud voluerit, nam l. 20. & 21. ff. *De legitimis* sic habetur, non omnium, quæ à Majoribus constituta sunt, ratio reddi debet: Et ideo rationes eorum, quæ constituuntur, inquireri non oportet.

et, alioquin multa ex his, quæ certa sunt, subvertuntur. Hoc itaque unum sufficit dicere, quia sic placuit legislatoribus, qui non tenentur semper placiti sui causas reddere.

Obj. 3. In dubio melior est conditio possidentis, ergo cum tot sint Auctores & rationes probabiles pro relatis sententiis, ille, qui possidet, potest retinere, donec condemnetur, ita Sanch. R. Potest retinere vi iudicii directi, quod fertur de re seu objecto secundum se, N., vi dictaminis reflexi, quod sibi format ex supposita certa probabilitate talis opinionis, C., Non licere tamen in eiusmodi casu compensationem occultam, dictum est p. 1. n. 962. 724

Q. 111. Quomodo contractus firmentur. R. Præcipue 4. modis, promissione, juramento, fidejussione, hypothecâ vel pignore, quæ apud Juristas dicuntur cautiones, nempe promissoria, juratoria, fidejussoria, hypothecaria. De promissione, fidejussione, hypotheca & pignore, agemus postea, sunt enim speciales contractus, qui alteri contractui firmando adjiciuntur: hinc tantum dicemus de cautione juratoria. 725

§. 1. Certum est licere juramento firmare contractum, uti patet ex diplomate Martini V. in Conc. Constant., ubi damnatur hæc Vicleffi propositio 43. Juramenta illicita sunt, quæ sunt ad corroborandum humanos contractus & commercia civilia. Juramentum autem est quadruplex, delatorium, assertorium, promissorium, confirmatorium. Delatorium dicitur, quod ex conventionem partium vel auctoritate iudicis defer-
tur

tur alicui ad terminandam litem, uti habetur
 1. & seqq. ff. *De jurejur.*, & de hoc non agitur
 in præfenti, sed pertinet ad materiam de iudi-
 ciis, potestque de hoc videri Cap. *Juramentum*
 36. *De jurejur.* & AA. passim. Assertorium est
 quo affirmatur vel negatur aliquid de præfenti
 aut præterito; potest tamen nudè asseri aliquando
 circa futurum, nam potest quis jurare sole-
 cras oriturum; item se nunc habere volunta-
 tem cras dandi aureum, vel faciendi, ut de-
 tur, quamvis non juret se daturum aut dan-
 dum esse; & de juramento assertorio in hac lat-
 tudine sumpto etiam non agitur hìc, possunt
 tamen circa illud videri dicta hìc p. 1. q. 67.
 80. Promissorium est, quo aliquid promittitur
 in futurum, seu quo quis se obligat ad aliquid
 præstandum. Confirmatorium dicitur, vi cuius
 jus pactum aliquod vel contractus alioqui nul-
 lus quasi ad vitam venit & acquirit vim ob-
 gandi ex justitia, quam alioqui non habuisset
 ita ut vi appositi juramenti habeat etiam in fo-
 ro externo omnes effectus tali contractui pro-
 prios.

726 §. 2. Si juramentum cadat super contra-
 ctum licitum, validum & de se vestitum, ut
 si quis juret se servaturum emptionem, quam
 fecit, hoc juramentum est promissorium, &
 obligat, uti per se patet; attamen non est stri-
 ctè confirmatorium, cùm illi contractui non
 afferat vim obligandi ex justitia, nec vim ad
 effectus civiles, hæc enim antecederet ha-
 buit; potest tamen hoc sensu dici confirma-
 torium, quòd addat robur aliquod seu obliga-
 tionem

tionem novam ex virtute religionis ; tale tamen robur non addit , quin maneat potestas contractum reducendi ad æqualitatem , si fortè notabilis inæqualitas intervenerit , hinc docent *Less.* in auct. v. *Juramentum*, *Cas.* 4. & *Burghab.* cent. 3. *Cas.* 82. , qui post contractum etiam juratum advertit se deceptum esse plus quàm dimidio , eum juvari posse & debere reducendo contractum ad æqualitatem , quia fuit error in substantia , neque consensit in talem eventum.

§. 3. Juramentum, etiamsi cadat super contractum planè irritum eumque non confirmet , tamen obligat in conscientia , si servari possit sine peccato , *Suar.* de juram. L. 2. C. 22. *Sanch.* L. 3. c. 9. n. 19. *Mol.* d. 149. *Bonac.* de contract. d. 3. q. 1. p. 1. n. 7. *Less.* L. 2. c. 17. n. 40. *Onn.* d. 11. n. 55. Et habetur expressè *Cap. Quamvis.* De pactis in 6. item C. 6. *Debitores.* C. 18. *Quanto.* C. 28. *Cum contingat.* *De iurei.* ubi semper redditur ratio , quia eiusmodi iuramenta non vergunt in æternæ salutis dispendium. Idem habetur L. 1. & auth. *Cod. Si adversus venditionem.* Ratio autem est , quia sic postulat reverentia debita Deo , qui vocatur in testem ac veluti fidejussorem eiusmodi contractus servandi. *Si dicas* , quòd accessorium sequi debeat principale , & consequenter si contractus sit irritus , etiam juramentum illi adjectum fore irritum ; *Respondet Suar.* C. 9. n. 6. non jurari contractum sed solutionem seu expletionem contractus , & quidem principaliter , adeoque juramentum in ordine ad inducendam obligationem religionis circa objectum

con-

contractus non esse accessorium sed principale
 Sed dato, quod etiam juretur contractus, verum
 non est, quod accessorium semper sequatur
 principale secundum vim obligandi, uti di-
 ctum est p. 1. n. 315.; & ratio est, quia acces-
 sorium potest addere novam obligationem,
 quæ non tollatur, licet irritetur contractus, ir-
 ritatio enim potest cadere super solum contra-
 ctum & non super iuramentum, quod accesso-
 rium erat, uti rectè *Dicast.* à n. 227., v. g. si
 contractus sit irritus propter vim injustè illatam,
 hoc ideo est, quia intervenit turpitudinis inferen-
 tis vim, qualis turpitudinis non est, si iuramen-
 tum sponte adjiciatur: Similiter docet *Ill.* t.
 4. d. 3. n. 233. iuramentum sequi naturam actus,
 tantum in iis, quæ spectant ad naturam actus,
 non verò in iis, quæ sunt extra; sic si juraris te so-
 luturum debitum ex contractu, licet absente
 iuramento non tenereris solvere, si non exig-
 retur, oppositum tamen est, si juraris, quod
 addidisti iuramentum ad urgendam solutio-
 nem ex parte tua, licet creditor non urgeat.
 Ita ille.

1728 §. 4. Si tale iuramentum fit vi, metu aut
 dolo extortum, *Silv.* aliique 8. cum *Diam.* p.
 4. t. 4. R. 28. & p. 8. t. 7. R. 57. dicunt non ob-
 ligare, quia leges Canonice supra citate ad-
 dunt hanc exceptionem, nisi vi, metu aut do-
 lo sit factum; quam sententiam *Sanch. C.* t.
 n. 8. & C. 11. n. 19. *Less. C.* 42. n. 19. *Castro-*
d. 2. p. 7. §. 3. n. 3. dicunt esse probabilem, sed
 probabilius videtur adhuc obligare, quia C. 8.
Siverò. De jurej. Alex. III. interrogatus de iura-
 mento per gravissimum metum extorto, ad-
 huc

huc dicit esse servandum, hinc per exceptionem illam, nisi factum sit vi, metu aut dolo, videtur tantum significari, quod in his casibus non sit constans obligatio, eò quod sit justa causa petendi relaxationem, aut repetendi hoc, quod per momentaneam solutionem fuerit datum, & ita Cap. 6. De jurej. dicitur esse obligationem solvendi usuras, si quis juraverit se soluturum, quod *Dicast.* de juram. d. 3. n. 216. citans plurimos alios dicit esse certissimum; in jure tamen Canonico additur posse repetere, quamprimum solverit, & usurarium teneri restituere: atque idem est, si jurasti te aliquid daturum latroni, uti etiam docent *Less.* n. 51. *Mol.* d. 149. *Lugo* d. 22. n. 195. *Onn.* n. 74.

§. 5. Juramentum cadens supra contractum 729
 contra bonos mores, qui nempe sine peccato observari non potest, non obligat, quia nemo potest ad peccatum obligari, nec juramentum est vinculum iniquitatis, hinc *Reg. juris* 58. in 6. dicit, *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum*: Unde non obligat juramentum factum contra aliud prius juramentum, si materia secundi juramenti sit per primum facta illicita, uti cum communi *Onn.* n. 62.; juramentum tamen illicitum potest aliquando obligare, uti dictum est p. 1. à n. 316.

§. 6. Quinam & quomodo contractus per 730
 juramentum confirmantur, diversæ sunt opiniones, quas referunt *Lugo* à n. 295. & *Onn.* à n. 85., nam *Jafon* & alii negant ullos contractus confirmari juramento: *Bartol.* & alii dicunt confirmari solos contractus validos: *Less.*
 L. 2.

L. 2. C. 17. n. 56. dicit confirmari solos contractus jure naturali validos, si vi, metu aut dolo facti non sint, quæ sententia est valde probabilis. Addunt *Suar. C. 29. n. 9. & Mol. d. 150.* tantum æquivalenter confirmari, quia re ipsa non convalescunt, sed per obligationem ex virtute religionis accipiunt omnes effectus, quos haberent, obligarent ex justitia. *Azor, L. 11. C. 7. q. 1.* dicit confirmari contractus jure civili, non tamen jure Canonico irritos: *Panorm. Sanch. Sa, Lugd. 206.* alique plurimi cum *Onn. n. 96.* dicunt quòd contractus non tantum jure positivo, sed etiam naturali irriti propriè confirmantur & se fiant validi, non tamen omnes, uti paulò post dicitur.

731 §. 7. Juramentum non habet ex se, sed tantum ex dispositione juris positivi, quòd quando confirmet contractus, *Bald. Suar. Sa. Onn. n. 84.* & alii; ratio est, quia juramentum tantum potest inducere obligationem ex virtute religionis, ergo quòd accedente juramento accedat obligatio justitiæ, & quòd talis contractus in foro externo habeat omnes effectus tali contractui proprios, sicque quasi ad virtutem veniat, fit per jus positivum, quod propter reverentiam Dei invocati vult hoc restitui & competeret contractui, quod propter rationabiles & politicas causas illi sustulerat per leges suas, & ita ostendit jus positivum, quòd Dei reverentiam legibus suis anteponat, uti notat *Onn. 58.*

732 §. 8. Probabilius videtur omnes illos contractus confirmari per juramentum, qui ex jure positivo habent, quòd sint nulli, & servari possunt.

absque peccato tam jurantis quam illius, qui exigat juramentum. Probatur, quia eiusmodi contractus transferunt dominium, alioquin alter non haberet justum titulum retinendi; deinde causant omnes effectus etiam civiles, qui proprii sunt eiusmodi contractibus, ergo cum possint confirmari à iure positivo, convenientius dicitur, quòd confirmentur, præsertim cum hoc etiam dicat major pars Juristarum & Theologorum, teste *Lugo*, quorum plurimos citat *Onn. n. 98. Dixi*, qui ex iure positivo habent, quòd sint nulli, nam si ex iure naturæ hoc habeant, uti contractus ebriorum aut simulatè facti, hi non confirmantur per iuramentum, quia vi juris positivi suppleri non potest consensus; & de his verum est, quòd iuramentum sequatur naturam actûs cui apponitur, quia actus ratione iuramenti non immutatur, sed manet qualis fuit. Similiter si contractus erat injustus, quamvis juretur, manet in illo, qui iniuriam fecit, obligatio rescindendi contractum & remittendi iuramentum. Econtrà si contractus tantum ex dispositione juris positivi erat nullus, & accedat iuramentum, jus disponit, ut non maneat, qualis fuit, sed ut iuramentum afficiat contractum jam immutatum & validatum; hinc confirmatur contractus, quo pupillus addito iuramento immobilia alienat sine auctoritate Tutoris, licet *n. 673. dixerimus*, si absit iuramentum, contractum nequidem naturaliter obligare, quia nempe ius positivum vult consensum pupilli haberi tanquam nullum, si tamen accedat iuramentum, idem jus in reverentiam iuramenti revocat hanc suam dispositionem,

tionem, & vult, ut consensus illius maneat, qualis secundum se est, adeoque ut sit validus, & idem est de aliis eiusmodi contractibus, quos fuse recenset *Onn.* à n. 130. & *Lugo* n. 229. breviter adducit plerosque.

733 §. 9. Illa iuramenta non confirmant contractus, neque obligant, quæ servari non possunt sine peccato iurantis; hinc non tenentur iuramenta, quæ sunt contra leges naturales, Canonicas vel civiles obligantes in conscientia, item quæ sunt in præiudicium tertii; sic non valet, licet iurata à Clerico renunciatio fori Ecclesiastici aut Privilegii Canonis, quia cedit in injuriam totius ordinis clericalis; uti nec renunciatio privilegii nobilitatis, quia est in injuriam familiæ & prolium; similiter non valent donationes inofficiosa & prodiga, licet iurentur, si absque peccato executioni dari non possint; nec valet quicumque contractus posterior contra fidem prioris, quamvis posteriori addatur iuramentum, nisi hic posteriori traditione esset firmatus, aut esset de alio objecto honesto; possuntque ista videri legibus firmata apud *Onn.* à n. 62. iterumque longè ordine deducta à n. 125. Econtra si contractus juratus non sit contra bonos mores naturales, sed tantum civiles, id est, tantum contra legem civilem non obligantem in conscientia, tum obligat, quia res manet licita, tum jus voluit reverentiam Dei per iuramentum invocati præferri legi suæ, uti habet communis cum *Onn.* n. 76. *Nec obstat*, quòd *L.* 7. §. 16. ff. *De pactis* dicatur, neque pactum à iure communi remotum, neque iuramentum de

hoc

hoc servari oportere, nam sermo est de juramento rei prohibitz per jus in conscientia obligans; dari autem contractus prohibitos tantum civiliter & non naturaliter pro foro conscientiz, patet, ejusmodi enim contractus sunt, si uxor fidejubeat pro marito, si quis per testamentum sine solennitatibus constituat heredem &c.

§. 10. Si pupillus, qui per jus positivum impotens est contrahere, etiam jurarit se non contrahendum, & nihilominus postmodum contrahat ac juret se non contrahendum huic contractui, Azor, Sanch. Less. Bonac. Castrop. dicunt contractum primum non confirmari, quia materia hujus secundi juramenti videtur esse illicita, cum hoc juramentum opponatur priori: Sed Suar. C. 30. n. 16. Haun. Gom. Fill. Lugo, Ills. t. 4. d. 2. n. 362. melius dicunt confirmari, nam non juraverat se non staturum contractu perjure inuito, sed tantum juraverat non contrahere, ergo stare contractu perjure inuito (quod solum jurat per secundum juramentum) manet objectum ipsi licitum & honestum; ergo licet contractus ipsumque secundum juramentum fuerit illicitum, hoc tamen secundum juramentum est validum & consequenter retinet vim firmandi contractum. Ad rationem in contrarium. R. Secundum juramentum non opponi priori in materia jurata, sed tantum in actu jurandi, nam non habet pro objecto contractum ponendum, quem per prius juramentum reddiderat sibi illicitum, sed non revocationem contractus, quæ licita manet.

§. 11. Contractus, qui primario prohibentur 735

Ff 2

tur

tur propter publicam utilitatem, non confirmantur juramento, quia non possunt servari sine peccato: è contrà qui primariò prohibentur tantùm propter privatam contrahentis utilitatem, sæpe confirmantur, quia contrahentis sæpe potest sine peccato hunc favorem negligere, *Lugo* à n. 227. *Limitat Castrop.* de juram. 2. p. 13. §. 6., nisi hoc redundaret in damnum publicum.

736 §. 12. Contractus, qui servari non possunt sine turpitudine obligantis, id est, sine peccato illius, qui juramentum exigit, non confirmantur per juramentum, tum quia jus non vult fore vere turpitudini exigentis, ne det occasionem peccandi, tum maximè quia exigens tenetur ex justitia non exigere tale juramentum, & si exigit, compensare damna, ergo non acquiritur jus per talem contractum, *Lugo* n. 230. *Onn.* 129. Et de hac turpitudine exigentis, item de turpitudine illius, in cujus favorem juramentum esset factum, plura videri possunt apud *Lugo* à n. 231. *Nec obstat*, quòd latro possit remittere obligationem illam jurantis, non ideo dici debet acquisivisse jus, uti dicitur n. 744.

737 §. 13. Ut juramentum confirmet contractum, debet fieri homini, & ab eo acceptum, veluti pro securitate contractus, alioquin servari non potest, sed per revocari poterit pro arbitrio jurantis, *Sax.* de Matr. l. 1. d. 7. n. 24. *Lugo* n. 196. item d. 1. n. 50. & 86. *Less.* n. 52. *Onn.* n. 53. dans conditionem d. 29. n. 48., quia tale juramentum imbibit hanc conditionem, si alter acceptum fuerit. Econtrà si juramentum factum esset Deo, non

si Deo jurâsses te daturum Petro 100., obligare-
 ris ex religione, quamvis Petrus nihil sciret de
 tuo juramento: idem tenet *Dicast.* de just. l. 2. t.
 4. n. 79. si juramentum fiat homini de re pia in
 honorem Dei, dicit enim tum habere rationem
 voti: addit n. 107. quando dubitatur, an volue-
 rit promittere homini an Deo, præsumendum
 esse, quòd voluerit Deo, quia communiter acci-
 dit, ut promittens causæ piæ, dirigat intentio-
 nem ad Deum: estque hæc differentia inter pro-
 missionem vel juramentum Deo & homini fa-
 ctum, quòd Deo factum imitetur naturam voti,
 hinc si fit de re indifferente, vel de re bona sed
 ob finem indifferentem, non obligat, Deus enim
 non curat indifferentia sed tantum honesta; è
 contra factum homini obligat, quamvis fit de re
 indifferente & minus bona, quia homo non sem-
 per vult meliora, sed sibi utilia vel commoda;
 inde etiam sequitur, quòd juramentum Deo fa-
 ctum possit in melius mutari, non item factum
 homini, quia homo, cui juratum est, potest velle
 hoc in specie, quod juratum est, quamvis non sit
 quid melius, & juramentum obligat secundum
 voluntatem illius, in cuius gratiam juratur.

§. 14. Illa juramenta obligant jurantem, sed 738
 non firmant contractum, quæ finè peccato
 impleri possunt à jurante, ex parte tamen
 exigentis continent turpitudinem, uti constat ex
 dictis: tales contractus sunt de solvendis usuris,
 de pecuniis dandis latroni, de solvendo debito
 injustè petito, &c. de quibus plura *Onn.* à n.
 129.

§. 15. Quamvis contractus nudi nullam pa- 739
 riant

Ff 3

riant

riant obligationem civilem, tamen si jurentur
vestiuntur, & pariunt etiam pro foro externo
obligationem, uti cum communiore *Covar. Po*
norm. Lugo D. 22. n. 204. alique contra *Bart.*
multos Juristas; similiter quamvis in contractibus
innominatis detur poenitentia saltem pro
foro externo, hæc tamen non datur, si juramentum
firmentur, &c. quæ omnia legibus & Auctoribus
firmat *Onn. n. 39.* & iterum à n. 130. Deinde
quamvis promissio rei incertæ de se non valeat
uti dictum est n. 699., tamen si sit jurata, valet,
jussus vult propter reverentiam juramenti, ut ma-
teria incerta arbitrio boni viri determinetur, ut
post *Gutt. & alios Onn. n. 118.* Præterea quamvis
contractui de jure communi non debeat executio
parata, hæc tamen debetur, si additum
juramentum, *Bart. Gutt. Onn. n. 120.* Denique
quamvis secundum regulam communem juramentum
pacta novissima prævaleant prioribus, L. 12. Cod.
pactis. L. 27. §. 2. ff. De pactis, si tamen pactum
quod prius fuerit juratum, prævalet posteriori
Onn. n. 121. & alii.

740 §. 16. Si jurans sit impubes, obligatur juramento; sed non confirmatur contractus, uti probabilius tenent *Bald.* alique cum *Sanch. & Lugo*
n. 214., jus enim positivum agens de confirmatione per juramentum, tantum loquitur de juramentis puberum, uti patet ex legibus habemus citatis: si tamen impubes fecit contractum & pubes factus illum juret, confirmatur juramento, uti eidem AA tenent.

741 §. 17. Quando contractus juramento non confirmatur, etiam si juramentum obliget, jussus
peti-

petitur ejus relaxatio, uti habetur Cap. 1. 6. & 8. De jurej. tum enim ex parte exigentis est turpitudine, quia, v. g. exigit usuras, hinc est justa causa relaxandi, ne vel ipse ex sua malitia habeat commodum, aut innocens incommodum, *Mol. d. 49. Suar. de juram. L. 2. C. 25. Sanch. L. 3. C. 12. n. 59. Lugo n. 192. Onn. n. 139.*

§. 18. Episcopus potest relaxare juramentum, quod non firmat contractum, quia habet jurisdictionem ordinariam in omnia, quæ non sunt propria Papæ: neque tum est in præjudiciū tertii, cum alter nullum jus acquisiverit, sed est favor juranti; imò sæpe etiam exigenti juramentum, ut ulterius exigendo non peccet, *Less. n. 51. Onn. n. 148.* Addunt cum aliis *Mol. d. 149. & Tambur. in Dec. L. 3. C. 3. §. 5. n. 3.* etiam potestate sæculari posse relaxari juramenta per injuriam extorta, si bono civili præjudicent, quam opinionem *Onn. n. 153.* vocat probabilem, quamvis n. 154. teneat oppositam, eò quòd relaxatio juramenti spectet ad materiam religionis, in quam sæculares se ingerere non possunt: *Lugo* tamen n. 238. rectè docet potestatem sæcularem id posse indirectè, sicuti enim privatus, cui jurasti, potest te liberare juramento, nolendo à te impleri, ita poterit Superior habens potestatem in voluntatem talis privati, nomine hujus remittere tibi eam obligationem.

§. 19. Relaxatio hujus juramenti spectat ad Episcopum jurantis, quando petitur pro foro conscientiae, vel solùm ad aliquid, ad quod non requiritur citatio alterius partis: è contrà si petitur ad aliquid, ad quod requiritur citatio alterius

rius partis, relaxatio ejus spectat ad Episcopum illius, cui juratum est, qui solus potest hunc citare, ita cum aliis *Lugo* à n. 241.

744 §. 20. Juramentum potest relaxari à creditore, sive justè sive injustè illud exegerit, uti dictum est p. 1. n. 358., est enim factum & Deus acceptavit tantùm in favorem ipsius, & quasi sub conditione, si ipse voluerit, ergo si hic cedat favore suo, cessat consequenter obligatio juramenti, quæ erat veluti accessoria, *Onn.* n. 60. & iterum à n. 149. Quòd si aliquis principaliter ob honorem Dei jurarit alicui Monasterio dare, v. g. 100 aureos, *Suar.* C. 39. n. 8. dicit Monasterium non posse remittere juramentum, quamvis possit aureos solutos statim reddere, quia Deo est juramentum acquisitum, & hoc est conformius dictis n. 73. E contra *Sanch.* de Matr. L. 1. d. 52. & in Dec. 3. c. 20. n. 7. *Tamb.* C. 7. §. 2. dicunt posse remittere, quod *Gob.* T. 11. n. 50. dicit esse practictum, quia licet principaliter factum sit ad honorem Dei, tamen videtur habuisse respectum ad voluntatem Monasterii, à quo si recusaretur, censetur noluisse se obligare.

745 §. 21. Si juramentum non confirmaverit contractum, obtentâ relaxatione juramenti cessat omnis obligatio, quia non erat nisi solius religionis, ergo hac sublatâ, nulla manet, *Lugo* n. 13. *Onn.* n. 40. cum communi.

746 §. 22. Si contractus confirmetur juramento, relaxatio juramenti peti non debet, quia est juramentum acquisitum alteri; & quamvis obtineretur talis relaxatio, probabilius est mansuram obligationem justitiæ ad servandum contractum.

Less.

Less. n. 50. Lugo n. 190., ratio est, quia contractus per juramentum est validatus, ergo vi contractus sic jurati est jam tertio acquisitum jus strictum, quod non extinguitur, licet fortè tollatur vinculum religionis, uti etiam cum communi *Onn. n. 40.*; imò verius est, quòd quando altera pars est invita, etiam injustè tollatur hoc vinculum religionis, quia ex consensu partium est inductum, & majorem securitatem addebat contractui; neque Superiores Ecclesiastici habent potestatem relaxandi talia vincula in præjudicium vel damnum tertii, uti cum communi *Onn. n. 41.*; & in certis tantùm casibus extraordinariis, inquit. *Lugo d. 23. n. 94.*, habet Papa potestatem cogendi fideles ad cedendum jure suo. *Nec obstat*, quòd confirmatio contractus in fieri pendeat à juramento, nam non ideo pendet in conservari, uti patet etiam in causis physicis, à quibus pendet effectus in fieri, non tamen in conservari; & idem est in moralibus, sic enim obligatio contractus onerosi pendet in fieri à consensu utriusque, non tamen in conservari, licet enim unum pœniteat, manet tamen obligatio, quod etiam videtur innuere *Reg. 73. De reg. juris in 6. Factum legitime retractari non debet, licet casus postea veniat, à quo non potuit inchoari*: Et ita docent *Suar. Mol. Less. alii- que cum Onn. n. 64. & iterum n. 142.*, quamvis *Suar. & Onn. n. 42.* fateantur opinionem contrariam esse probabilem, nempe sublato juramento talem contractum manere irritum, eò quòd res per easdem causas dissolvatur, per quas nascitur, opinio tamen altera manet probabilior; ex qua duo sequuntur, imprimis repeti non posse hoc, quod solutum est ex contractu per juramentum

confirmato, uti cum communi *Suar. c. 25. n. 1*
Sunch. c. 12. n. 81. alique plurimi cum *Onn. n. 43.* Deinde sequitur jus & obligationem, quæ oriuntur ex contractu per juramentum confirmato, transire ad hæredes, uti cum *S. Th. & aliis tenent Lugo n. 193. & Onn. n. 46.* è contrà jus vel obligatio, quæ præcisè ex juramento nascitur, non transit ad hæredes, sed est personalis, & obligat illam tantùm personam, quæ juravit. Vide *Lugo d. 23. n. 98.*

747 §. 23. Jus Canonicum potest antecedenter irritare juramentum, sic enim *Trid. sess. 25. C. 16. De Regul.* statuit, ut nulla renunciatio vel obligatio etiam jurata valeat, nisi facta cum licentia Episcopi aut ejus Vicarii intra duos menses proximos ante professionem, quamvis professurus etiam addito juramento huic favori renunciasset: & patet, quòd tum per tale juramentum non confirmari possit contractus nec ulla obligatio induci. Solum dubitatur, an jus civile vel Princeps sæcularis etiam hoc possit, antecedenter irritando actum jurantis; & aliqui apud *Lugo d. 23. n. 243.* universaliter id negant, quia juramentum est vinculum spirituale spectans ad religionem: Alij universaliter affirmant, quia voluntates subditorum sunt subjæctæ potestati etiam sæculari, ubi bonum commune ita postulat: *Sanch.* dicit hoc posse indirectè, nempe antecedenter irritando contractum, super quem caderet juramentum, ita ut non fit nascitura obligatio neque justitiæ neque religionis: è contrà *Suar. Barb.* alique probabilius dicunt, quamvis in hoc casu non nasceretur obligatio justitiæ, tamen nascituram obligationem religionis, uti fit quando
 juratur

juratur contractus, qui ab initio est & manet irritus, potest tamen licite impleri. Addit recte *Lugo* n. 246. potestatem sæcularem etiam sic posse impedire; si antecedenter sub culpa prohibeat contractum, quia nempe communiter nocet bono publico, sic enim materia juramenti fiet illicita, ergo nequidem ex religione poterit esse obligatio implendi juramentum de illa. Denique putat *Castrop.* de juram. D. 2. p. 13. n. 2. etiam hoc posse, si jurantem reddat incapacem juramenti, sed non apparet, quomodo possit reddere incapacem, cum hoc spectet ad forum spirituale animæ.

§. 24. Juramentum possit esse, vel de implendo, vel de perseverando in contractu, vel de non petenda relaxatione juramenti: Juramentum de implendo contractu includit juramentum de perseverando in contractu, qui enim sincerè jurat implere, jurat implere in tempore, pro quo jurat, ergo jurat non revocare sed perseverare in contractu pro eo tempore. Addit *Onn.* n. 24. eum, qui jurat implere, etiam videri saltem communiter jurare, quòd nolit petere relaxationem juramenti, eâ enim intentione petitur vel acceptatur juramentum ab altero, ut jurans astringatur ad implendum, ergo ut non possit declinare obligationem adimplendi, & consequenter etiam ut non possit petere relaxationem; hoc tamen pendet ab intentione jurantis & à circumstantia causarum, quæ supervenire possunt, uti jam dicetur.

§. 25. Juramentum de non petenda relaxatione obligat, quia potest servari sine peccato, ergo debet: valetque hoc secundum *Suar.* c. 25.

n. 11. & C. 29. *Sanch. c. 9. n. 20. 21. 65. Less. c. 26. n. 27. Onn. n. 156.*, quamvis alter per injuriam extorsisset, quia reverentia juramenti principaliter respicit Deum, qui injuriam non intulit; hoc tamen juramentum meritò relaxari potest à Superiore, etiam non petente illo, qui juravit, uti deciditur *Cap. Pervenit. 2. De jurej.* Quòd si etiam justa causa esset petendi relaxationem, eò quòd in detrimentum vergeret obligari juramento, utique peti posset; & hoc est, quod vult communis sententia cum *Sanch. in Dec. l. 4. C. 8. n. 21. & Dian. p. 11. t. 2. R. 35.*, quæ dicit juramentum de non petenda relaxatione juramenti non obligare.

750 §. 26. Si contractus juramento non confirmetur, uti fit dum quis jurat se soluturum usuras, si mens jurantis fuerit, quòd nollet repetere usuras nec relaxationem juramenti, stare debet contractu & sibi imputare, quòd laqueum sibi injecerit; aliud est si tantum intenderit satisfacere momentaneâ solutione, reservato sibi jure repetendi usuras, vel saltem petendi relaxationem à juramento, quod præsumendum est, nisi aliud constet, *Onn. n. 45.*

751 Quid dicendum sit in variis dubiis circa juramenta, videri possunt dicta p. 1. à n. 37.

Obji. Reg. 18. juris in 6. sic habet, Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit. Item *Reg. 29. ff. De Reg. juris dicitur, Quod in vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere.* probatque hoc multis *Onn. d. 19. f. 5.*, ergo contractus, qui nulli sunt, nunquam possunt per juramentum confirmari. *R.* Sensus legum istarum est, quòd dispositio, quæ ab initio est irrita, solo tractu

tractu temporis non fiat valida, nisi aliquid aliunde accedat, quo convalescat, v. g. renovatio consensûs: in nostra autem materia N. suppositum consequentis, nempe quòd contractus, qui per juramentum confirmantur, unquam fuerint irriti, nam juramentum non tollit nullitatem sed eam antevertit, impediens ne oriatur, uti dictum est n. 732.

Inst. 1. L. Non dubium. Cod. De legibus. Imperator dicit contractus à lege irritos, neq; juramenti accessione convalescere. *R. Ant. Perez* aliique dicunt legem illam esse correctam per Authent. Friderici, *Sacramenta puberum*. Potest etiam dici cum *Sanch. L. 3. C. 12. n. 30.* intelligi de illis contractibus, qui principaliter ob bonum communitate prohibentur, adeo que sunt illiciti, uti est Matrimonium non servatis à jure requisitis.

Inst. 2. Sic eluditur intentio & finis legum, 753
nam contractus, quos leges faciunt irritos, poterit quisque statim facere validos, addendo juramentum, sicque non erit provisum, v. g. pupillis, facile enim poterunt adduci, ut adjiciant juramentum. *R. Hoc non obstante jus vult valere*, ob reverentiam Dei invocati; quòd si quis patiatur damnum, sibi imputet. Deinde sæpe non confirmantur contractus, quia communiter est turpitudine saltem ex parte exigentis: præterea per relaxationem & restitutionem in integrum adhuc datur locus obviandi incommodis.

Inst. 3. Ergo contractus per legem irritus etiam per hoc fiet firmus, 754
quòd quis superaddat promissionem non contraveniendi illi contractui. *R. N. seq., quia hæc reflexa promissio non adde-*

adderet obligationem nisi iustitiæ per ipsum contractum intentæ, hanc autem irritabat lex, & quodocunq; lex irritat aliquem contractum, hoc ipso irritat reflexam promissionem non contraveniendi illi, uti rectè *7lls. T. 4. d. 2. n. 262.*; è contrà si addatur juramentum, accedit alia insuper obligatio religionis, quam lex non irritat sed reveretur.

755 *Q. 112. Quomodo finiantur contractus.* *Re.* Generaliter finiuntur sublato saltem uno contrahentium & non succedente alio: item interitu rei, de qua erat conventum, de quibus videri potest *Onn. D. 21. S. 11.* Specialiter autem *Justinianus* Instit. *Quibus modis tollitur obligatio*, dicit obligationem, adeoque & contractum finiri 4. præcipuè modis, solutione, acceptilatione, novatione & consensu partium; qui modi dici possunt distractus seu dissolutiones contractus. Adhuc multos alios modos *Onn. n. 7.*, qui tamen ad hos facile revocantur, nam ad interitum rei revocatur præscriptio, de qua diximus à n. 468., cum enim transferat dominium in alterum, facit rem moraliter interire domino. Similiter quia per confusionem vel mixtionem amittitur rei dominium, uti dictum est à n. 234.; res etiam censetur moraliter perire, quamvis suboriri possit nova obligatio, unde confusio etiam reduci posset ad novationem. De quatuor modis finiendi contractum à *Justiniano* assignatis notanda sunt *seqq.*

756 §. 1. Solutio est extinctio obligationis per impletionem debiti in specie, debitum enim potest extinguí diversimodè, v. g. condonatione partis, permutatione in aliud debitum, sed

non

non est solutio, nisi præstetur in specie hoc, de quo contractum est, hinc si debeas 100. aureos, & fluxu temporis contra hoc debitum præscribas, extinguis debitum, non est tamen solutio. Porro de solutione hæc sunt jure recepta. 1. Eam non valere, nisi fiat creditori vel personæ ab illo aut à jure loco ipsius assignatæ. An autem valeat facta creditori creditoris, dictum est à n. 453. 2. Censetur solvisse, qui solutionem nolenti creditori obtulit & deposuit. 3. Ordinariè potest anticipari solutio, quando enim terminus est appositus, & dubitatur in cujus favorem, in dubio præsumitur pro debitore, L. 70. ff. De solutionibus. 4. Si plura sint debita, debitoris est determinare, pro quo extinguendo fit hæc solutio; quod si non determinet ipse, poterit determinare creditor, sed semper censebitur facta ad extinguendam obligationem duriorè, id est, illam, quæ magis onerosa est. 5. Creditor cogi non potest ad mutandam speciem, quia hoc esset cogere ad novum contractum permutationis, hinc si debeam 100. aureos & tria maldera tritici, non possum cogere creditorem, ut admittat triticum pro debito aureorum, sed per triticum satisfacere deo debito tritici, per aureos debito aureorum; de quibus omnibus videri potest *Om. d. 9. à n. 320. & pluribus d. 21. f. 2. & seqq.* Si autem aliquid indebitum sit solutum, quomodo competat repetitio, examinat f. 6. Et circa hoc habetur in ff. & Cod. titulus *De conditione indebiti.*

§. 2. Acceptilatio est imaginaria solutio, inquit *Justinianus* Instit. suprà, est enim acceptatio non soluti quasi pro soluto, sive est voluntas habendi

bendi pro accepto, quod tamen non est
 prum, uti si tibi debeam 100. & dicam, vili
 los 100, quos tibi debeo, habere acceptos,
 quasi illos accepisses? & tu dicas, volo, hab
 acceptus; hoc ipso implevi obligationem, &
 tus est contractus. Videri potest tit. ff. De accep
 latione, & *Om.* d. 21. f. 7.

758 §. 3. Novatio est prioris debiti in aliam ob
 gationem vel civilem vel naturalem transfr
 atque translatio, L. 1. ff. De novationibus, sic si
 bitum solvendi pretium pro frumento emp
 permutas in debitum laborandi pro venditor
 est novatio, quâ finitur prior contractus emp
 nis, & succedit nova obligatio laboris cond
 de quo videri potest *Om.* f. 9. Huc reducuntur
 Compensatio, de qua dictum est n. 455., &
 Delegatio, quæ est translatio debiti in aliam p
 sonam, de qua etiam diximus n. 463.

759 §. 4. Quomodo consensu partium finit
 contractus, intelligitur ex dictis à n. 607. ubi
 mus de consensu ad contractum requisito.
 hunc modum finiendi contractum spectant
 vocatio, condonatio, sententia Judicis, co
 promissum, transactio. De revocatione con
 sùs fusè agit *Om.* totâ d. 20., possuntque etiam
 videri *Sanch.* de Matr. l. 2. d. 37. n. 7. & *Lug.*
 resp. mor. l. 3. d. 16. sed nihil specialiter not
 dum occurrit, quæ enim spectant ad revocatio
 nem promissionis vel donationis, dicentur
 dub. sequens., quæ autem spectant ad jus resc
 dendi contractum, satis intelliguntur ex hacten
 nus dictis, & specialiter an rescindi possit, si
 rit deceptio ad dimidium, dictum est n. 624.
 726. De condonatione actum est à n. 455. Tum
 autem

autem finitur contractus per sententiam Judicis, si per aliquem, non electum à contrahentibus, sed potestate publicâ constitutum, in quem ideo consentire tenentur, imponatur finis contractui: quòd si finiatur iudicio arbitri, quem ipsimet contrahentes elegerint, erit compromissum: si extrajudiciali conventionem ipsorummet contrahentium, erit transactio, de qua n. 469. & 629. aliqua sunt dicta, pluribus enim de his agere spectat ad materiam de iudiciis.

§. 5. Rectè notat *Dicast.* de just. l. 2. t. 3. n. 760 379. sæpe, dum contractus prior finitur, fieri novum similem contractum, v. g. si tibi vendidi modium salis & tu mihi persolvisti pretium, non potest hic contractus dissolvi nisi per novam venditionem, quâ mihi tradas salem & ego tibi pretium; quod notari debet propter gabellas sæpe toties solvendas, quoties tale aliquid venditur aut emitur.

§. 6. Denique notandum, si contractus finiatur sententiâ Judicis, hunc debere esse talem, qui habeat potestatem in voluntatem utriusque contrahentis, qui citet partes & utriusque jura exquisitat, uti omnes notant.

D V B I V M II.

Quid inspecie de Promissione & donatione.

Resp. Quæ huc spectant, facillè colliguntur 762 ex dictis suprâ de Voto lib. 3. Tract. 2. cap. 3. Ex quibus, & doctrina præcedentis dubii resolvitur: 762

I. Promissio acceptata à promissario, si ma-

Tom. III.

Gg

teria

22teria sit notabilis, an sub mortali obliget securi-
 22dum se spectata, non convenit inter Doctores,
 22Cajet. negat, quem sequitur Merat. tom. 2. de just.
 22d. 19. f. 10. Alii (fortè probabilius) affirmant cum
 22Vasq. 1. p. d. 85. c. 6. n. 4. Fill. Mald. &c. Dixi secun-
 22dum se, quia certum est, quòd per accidens possit
 22obligare sub mortali, v. g. ratione gravis damni,
 22quod aliàs promissarius pateretur: ut si promi-
 22sisses ei dare mutuum, & ille tibi confusus, aliun-
 22de sibi non prospexisset. Vide Less. l. 2. c. 18. n. 59.
 22 II. Tota hæc obligatio communiter depen-
 22det ab intentione promittentis: Circa quod no-
 22tat Sa vix quemquam promittentium intenda-
 22re se obligare, aut alteri dare jus exigendi, nisi
 22addat juramentum aut faciat instrumentum;
 22sed plerumq; tantum intendere declarare suum
 22propositum. V. Escob. t. 3. E. 5. cap. 6. & Mol. de
 222. d. 262. n. 8. Hinc ut in foro externo censetur
 22valida promissio, requiritur præter acco-
 22mptationem, ut exprimaturs causa, propter quam
 22promittitur; alioqui præsumitur errore vel im-
 22pro facta, Trul. to. 2. l. 7. c. 16. d. 6. ex Cov. & Val.
 22 III. Donare non possunt, 1. carentes usu ratio-
 22nis. 2. Muti & surdi nati: secus, si tantum sunt
 22surdus, vel mutus; vel licet utrumque, si norunt
 22scribere. 3. Senes deliri, sive bis pueri; secus si
 22sint iudicio vegeto, 4. Pupilli vel impuberes. (nisi
 22si ad pias causas) donationes tamen eorū in fo-
 22ro conscientiarum sunt validæ. vid. infra ca. 4. d. 1.
 225. Damnatus criminis capitalis. v. Dia. p. 8. r. 6. R. 3.
 22 IV. Qui præsumunt civitatibus, Universitatibus,
 22Rebus pub. &c. non possunt facere donationes,
 22nisi remuneratorias, vel in eleemosynas. Sanchez.

Dia.

Dia. R. 16. Imò si Reges & Principes nimis sint²²
profusi in donationibus, in præjudicium regni,²²
vel statûs, (præsertim si debitis gravati, iis satis²²
facere non possint, vel subditi nimum graventur²²
exactionibus) possunt eæ revocari à succes-²²
sore, *Bart. Lugo disp.* 23. n. 148. &c. cum *Dian.*²²
R. 18. & 123.

V. Donatio patris filio facta studiorum causâ²²
est valida, neque filius tenetur computare in le-²²
gitimam, tum quia fuit loco alimentorum; tum²²
quia si detrahatur, jam non fuit donatio, con-²²
tra hypothesein, *Wading.* & 6. alii cum *Dia. R.* 23.²²
& 92. Sed *Trull.* limitat, nisi constet contrariam²²
intentionem patris fuisse: Quòd si tamen de ea²²
non constet, præsumendum esse de pietate pa-²²
tris; ideoque tales expensas ordinariè post mor-²²
tem patris non venire in collationem bono-²²
rum, nec debere conferri in commune, nisi pa-²²
ter protestatus fuerit se velle in legitimam²²
computari. Ita etiam *Wading.* ex L. *Si pater* 2. ff.²²
familiæ ercisc.

VI. Si pater officium filio emit, debet pretium²²
computari in divisione cum fratribus; non autē²²
si illud gratis à Principe obtinuit, uti nec, quæ fi-²²
lio intuitu meritorum patris sunt donata, quia²²
sunt quasi castrensia. *Mol. r.* 1. tr. 2. d. 238. & 10.²²
2. d. 291. n. 2. *Fag. Dia. R.* 127. 128.

VII. Donatio ante acceptationem, non parit²²
obligationem, ne quidem naturalem: potestque²²
revocari, etiamsi voluerit se absolutè obligare:²²
præsentem autem & tacenti facta, censetur ab eo²²
acceptata; quia in favorabilibus habetur pro²²
consensu. *Mol. r.* 2. d. 263. & 264. n. 4. & seqq. &²²
alii 18. *Dia. p.* 8. t. 7. *R.* 98. & 108. & p. 3. tr. 5. *R.* 116.

»pro altero verò nemo potest acceptare sine spe-
 »ciali commissione, nisi donatio fiat Ecclesie,
 »vel causæ piæ; nam hanc sine acceptatione va-
 »lere, & irrevocabilem esse, est probabile, Lay.
 »Dia. R. 106. & p. 3. t. 5. R. 107. Multis tamen casi-
 »bus, dummodo verba dirigantur in præsentem,
 »potest pater, vel mater pro filio, etiam emanci-
 »pato, tutor pro pupillo, curator pro Minore,
 »filius familias pro patre, servus pro domino,
 »monachus pro monasterio; imò etiam secun-
 »dùm multos, quicumq; alterius curam gerit, ut
 »Prælati pro Religioso, maritus pro uxore, do-
 »minus pro servo, &c. stipulari. Denique idem
 »jura permittunt Judicibus & Notariis publicis,
 »Sanch. Mol. l. c. Trul. &c. Dia. p. 8. t. 6. R. 97.
 » VIII. Et si acceptes donationem verbalem,
 »quâ tibi Cajus v. g. dat equum absentem, non
 »acquiris jus in re & dominium equi ante tradi-
 »tionem: Unde si interea Cajus det aut vendat
 »eum alteri, eique tradat, is dominium acquirit;
 »tu autem habes actionem in Cajum pro injuria
 »ratione juris, quod habebas ad rem: Ac sic dona-
 »tio purè verbalis ante realem, hoc est, rei tradi-
 »tionem, vix differt à promissione, ut Less. l. 2. c.
 »18. n. 11. & 12.
 » IX. Donatio, uti & remissio debitorum liqui-
 »dorum, unâ vice, & uno animi motu, uni aut
 »pluribus facta, ultra summam 500. solidorum,
 »(quæ summa hodie ad 700. vel secundùm quos-
 »dam ad 800. aureos Italicos excurrit, ut ex Claro
 »&c. notat Lay. l. 3. t. 4. c. 12. n. 15.) non tenet quoad
 »hunc excessum, sed lege ita statuente ob com-
 »mune bonum, potest à donatore pro arbitrio
 »repeti. Excipe, nisi Judici donatio ea insinuata
 fit,

fit, aut juramento firmata, aut facta ad pias cau-
 sas, aut ad redemptionem captivorum, aut ad
 reparationem ædium incendio vel ruinâ de-
 structarum, aut sit remuneratoria beneficio-
 rum, aut fiat in renuntiationem jurium, saltem
 speratorum, vel denique fiat militibus à belli
 duce, ex bonis propriis mobilibus, vel hostium
 spoliis. *V. Less. n. 102. Lay. n. 15. Tann. d. 6. de just. q. 2. dub. 2. n. 15. ex Mol. to. 2. d. 279. Claro, Rebello, &c.* Quare si tunc repetatur, quod absque iis
 conditionibus, vel ultra dictam summam da-
 tum est, tenetur donatarius reddere ipsi, aut hæ-
 redibus repetentibus: si non repetatur, potest re-
 tinere. *V. Auth. citt.*

X. Si donationi apponatur modus, tacitè vel
 expressè, non quidem obligando, sed tantùm
 desiderando, sperando, &c. aliquid alterum fa-
 cturum, vel animo eum ad hoc inflectendi, va-
 let donatio, etsi finis non sequatur: ùt v. g. dat-
 aliquis puellæ ad ejus consensum eliciendum,
 si postea non consentiat, non tenetur datum
 reddere: nam etsi non dedisset, si scivisset eam
 sibi non consensuram, tamen dedit absolutè si-
 ne obligatione alia, ùt ponitur: Secus esset, si
 verè intendisset eam obligare, & hac conditio-
 ne dedisset. *Less. d. 16. & 17.*

XI. In similibus donationibus allektivis, po-
 test aliquis, v. g. prædicta puella acceptare, etsi
 non intendat præstare, quod donator sperat;
 cùm donatio sit absoluta, animo alliciendi, non
 obligandi: Unde, si spe frustratus repetat, di-
 cens se non dedisse, nisi sub tali obligatione,
 non tenetur puella credere, quia eo ipso, quòd
 donator non expressit conditionem, præsumi-

»tur sine ea dedisse; & repetere, vel animo vin-
 »dictæ, vel ut consensum extorqueat. *Less. l. c. Di-*
 »p. 1. t. 2. *misc. R. 48.*

» XII. Non tenet donatio ob causam præteri-
 »tam, vel præsentem, quæ verè non est, ut v. g. si
 »dem tibi aliquid, quia apud Principem meam
 »causam transegisti; vel quia pauper es, & revera
 »non ita est, teneris restituere, cum sit error in
 »formali causa, & principali. Unde qui mentiun-
 »tur se pauperes, cum non sint, debent aliis pau-
 »peribus eleëmofynas restituere. Aliud est, si er-
 »ror sit tantum in causa secundaria, ut v. g. si verè
 »sint pauperes, & simulent insuper sanctitatem
 »ad hominum misericordiam provocandam
 »quia tunc primaria intentio dantium est, dari
 »pauperi. *Bon. Less. d. 17. V. Dian. p. 8. t. 6. R. 89.*

A D D E N D A.

763 Q. 113. *Quid sit promissio.* R. *Ex S. Th. 2. 2.*
 q. 88. a. 1. definitur propositum voluntatis quo
 quis se alteri obligat ad aliquid faciendum vel
 non faciendum, sive est contractus gratuitus,
 quo homo se homini ex justitia obligat ad ali-
 quid. Dicitur 1. *Contractus gratuitus*, quia si fieret
 cum onere vicissim præstando ab altero, accipe-
 ret rationem alterius contractus utrimque one-
 rosi, v. g. venditionis, locationis, aut saltem in-
 nominati, & sic non esset specialis contractus, si-
 milis enim promissio includitur in omni con-
 tractu. 2. *Quo homo se homini &c.* nam loquimur
 de promissionibus inter homines: Quod si ho-
 mo promittat Deo, erit votum, quo obligabi-
 tur ex Religione. 3. *Ex justitia*, quia omnis con-
 tractus causat obligationem justitiæ, sine qua erit
 tantum

tantum propositum vel pactum. Videri potest Carden. in 1. crisi d. 69. c. 2., ubi rectè ostendit ad promissionem requiri aliquam obligationem.

Q. 114. Quænam sit distinctio inter propositum, 764
 pactum & promissionem, prout contractus est. R.
 De distinctione propositi à promissione, dictum est p. 1. n. 362., sed omnia magis patebunt in hoc exemplo. Si quis dicat, *dabo tibi cras equum*, potest diversimodè se habere, nam 1. potest tantum velle affirmare id, quod ipse putat cras esse futurum, nempe cras futurum esse, ut det equum, siue nunc habeat voluntatem dandi siue non; & sic nequidem est propositum, quia non est actus voluntatis disponentis, sed solius intellectus enuntiantis, estque tantum propositio de futuro contingente. 2. Potest velle indicare, se nunc habere voluntatem cras dandi, siue cras in ea voluntate sit perseveraturus siue non, quorum neutrum determinatè intendat; & sic necdum est promissio, neque perfectum propositum, sed tantum simplex affirmatio præsentis intentionis dandi. 3. Potest velle indicare se non tantum habere nunc voluntatem cras dandi sed etiam se velle perseverare in illa, & sic est propositum, necdum tamen est pactum, quia deest alterius consensus seu acceptatio; talisque promissio ante acceptationem vocatur à Juristis Pollicitatio. 4. Potest insuper velle se ad hoc obligare ex honestate siue decentia alicujus virtutis ad alterum, v. g. fidelitatis, amicitiae, liberalitatis, non tamen ex justitia; quam voluntatem si alter acceptarit, erit pactum, *quasi ex pace factum*, inquit Isidor. cap. 11. De verbor. signif. 5. Denique potest simul velle se obligare ex justitia, &

fic post acceptationem erit contractus promissionis. Quòd si addatur certa interrogatio & responsio, erit stipulatio secundùm dicta n. 664. ita *Mol. Sanch. Less. Fill. Bonac. cum Onn. d. 23. f. 1.* Pendet autem à voluntate hominis, an quomodo velit se obligare, & communiter non præsumitur velle se obligare ex justitia, nisi addatur juramentum, aut faciat instrumentum, aut det aliquid in pignus vel assecurationem, sed censetur se solum obligasse ex alia virtute, quia in dubiis minimum est sequendum, secundùm dicta l. 1. n. 590., cum possessio sit pro libertate. *Lugo d. 23. n. 93.* alique communiter adfert quod *Onn. à n. 100.* multas conjecturas, unde colligi possit, fueritne animus obligandi se ex justitia an ex alia virtute, v. g. si promittit in circumstantiis, in quibus alii solent donare; item si quando promittebat, erat ita dispositus, ut rem donasset, si habuisset ad manum, præsumitur animus habuisse se obligandi ex justitia.

765 *Q. 115. An propositum obliget. R. Dictum est p. 1. à n. 361.*

*Q. 116. An pollicitatio sive promissio ante acceptationem obliget. R. §. 1. Quamvis obligare possit ex honestate Constantiæ, uti l. c. dictum est, atamen non obligat ex justitia, uti constat ex dictis n. 656., probantque fuse *Lugo f. 3. & Onn. d. 3. & 4.* Ratio est, quia licet aliquis possit suâ solius voluntate dimittere dominium rei suæ, habendo pro derelictâ, tamen suâ solius voluntate facere non potest alterum dominum rei suæ, cum ad acquirendum dominium requiratur in altero acceptatio legis sibi faventis contra alios, & licet fortè sufficiat tacita, uti si quis rem producat,*

ducat, v. g. actum suum vel opus artefactum, tamen id non tenet in aliis: disparitatem dat *Lugo* n. 39., quòd effectus naturales vel artefacta se-
 ipsis sufficienter connexa sint cum suis princi-
 piis, & hoc ipso quòd producantur, censean-
 tur fieri ùt sua, adeòque acceptari, id autem
 non est in rebus ab extrinseco acquirendis.

§. 2. Promissio nequidem ex fidelitate obli- 766
 gat ante acceptationem, uti rectè *Vasq. & Turr.*,
 quia fidelitas æquè est virtus ad alterum quàm
 justitia, neque mens promittentis est sibi impo-
 nere obligationem respectu alterius, nisi hic al-
 ter velit. De promissione iurata, vide dicta p. 1.
 à n. 331.

Obj. 1. Cap. Si tibi absentis, De præbendis in 767
 6., dicitur collationem beneficii non posse re-
 vocari ab Episcopo, quamvis ille, cui collatum
 est, necdum acceptaverit, ergo etiam promissio
 necdum acceptata revocari non potest. *R. N.*
conseq., Episcopi non sunt domini beneficio-
 rum, quæ solus Papa principaliter confert per
 Episcopos, qui etiam non possunt illa sibi retine-
 re; noluit autem Papa mutare voluntatem suam,
 nisi ille, cui collatum est, renuntiet; è contrà pro-
 mittens est & manet dominus rei suæ, ergo si ve-
 lit, potest promissionem necdum acceptatam
 revocare.

Obj. 2. Videtur asseri l. 4. & 7. ff. De pollici- 768
rat., quòd promissio facta Reipublicæ vel com-
 munitati ad reparandum aliquod damnum, vel
 ob gratitudinem: item l. 5. Cod. De emanci-
 pationibus, quòd facta infanti: item L. *Illud* Cod.
 De sacros. Ecclesiis, quòd facta ad causam piam
 obliget, quamvis nemo acceptet; & de dona-

tione facta Reipublicæ aut communitati pro-
parando damno vel ob gratitudinem, ita tenet
etiam *Mol.* d. 263. & *Onn.* n. 40. Idem docet
Bartolus, *Felin.* *Silv.* *Panorm.* *Less.* L. 2. C. 13. n. 3.
Sanch. de Matr. l. 1. d. 6. n. 15. *Mol.* suprâ aliq-
de donatione ad piam causam. R. Aliqui cum
Onn. n. 67. dicunt, quòd lex acceptet pro com-
munitate, Respublica pro infante, Deus pro cau-
sa pia: *Less.* c. 18. n. 40. dicit, tantùm prohibet
revocationem ejusmodi promissionum, ut sem-
per acceptari possint, negat tamen obligationem
implendi aut etiam manifestandi, nisi petatur, &
consentit *Dicast.* l. 2. t. 4. n. 110., hinc etiam *Onn.*
n. 41. cum plurimis aliis docet, donationes ad
pias causas non obligare ante acceptationem.
Lugo à n. 42. docet omnes ejusmodi promissio-
nes non tantùm non obligare ante acceptatio-
nem, sed etiam posse revocari, putat enim leges
adductas loqui de promissionibus acceptatis, sine
fine stipulatione & per modum pacti nudi facti.
Hinc etiam *Castrop.* tr. 32. d. 2. p. 2. n. 5. docet
promissione ad piam causam requiri alicujus ac-
ceptationem.

769 *Obj.* 3. Legatarius acquirit dominium rei lega-
tæ in puncto, quò hæres adit hæreditatem, quan-
vis de hoc nihil sciat, ergo etiam poterit absque
ulla acceptatione acquiri jus ad rem promissam.
R. Legatarius acquirit de factò tum, quando de
hoc nihil scit, N., acquirit per retrotractionem
& fictionem juris, C., quia nempe, si postea ac-
ceptet, jura disponunt, ut censeatur acceptasse
in puncto aditæ hæreditatis, *Lugo* n. 69. An sit ob-
ligatio manifestandi promissionem internam,
dixi n. 654.

Q. 117. An & quàm graviter obliget promissio 770
 acceptata. R. §. 1. Jure civili ordinariè non obligat, nisi fuerit vestita per scripturam, stipulationem, juramentum, testes, aut alio simili modo, contractus enim nudi non pariunt obligationem vel actionem pro foro civili, uti n. 586. dictum est. *Dixi*, ordinariè, nam promissio, quæ simul est donatio, item promissio dotis & solvendi debitum alienum, pariunt obligationem civilem, uti ex jure & AA. probat *Onn.* d. 2. à n. 149., Et universaliter, ut promissio in foro externo pariat actionem, debet causâ illius esse expressa, alioquin præsumetur facta ex errore vel non ferri: si tamen constaret de opposito, *Sanch.* de Matr. l. 1. d. 5. n. 22. alique dicunt non requiri causam esse expressam.

§. 2. Jure Canonico obligat paritque actionem in hoc foro, Cap. 1. *De pactis*, *Mol.* d. 262. *Onn.* d. 29. n. 77. Item obligat jure naturali, hinc L. 1. ff. *De pactis* sic habetur; *hujus edicti æquitas naturalis est, quid enim tam congruum fidei humanæ, quàm ea, quæ inter eos placuerunt, servare?* atque ita docent communissimè AA. cum *Onn.* à n. 74.

§. 3. Certum videtur, quòd promissio ex fidelitate obliget in conscientia, saltem sub veniali, uti cum *S. Th.* 2. 2. q. 110. a. 3. ad 5. docent omnes, teste *Carden.* in 1. crisi d. 69. c. 4., est enim dissonum à recta ratione, ideòque inhonestum, non stare promissis; quod à potiori sequitur ex dictis p. 1. à n. 361. *Dixi*, saltem sub veniali, nam fidelitatem secundum se non obligare sub mortali, docet cum comuni *Gormaz de Just.* n. 648., in hoc enim est similis veracitati, quæ

quæ secundum se etiam tantum sub veniali obligat.

773 §. 4. Promissio potest obligare ex justitia, promittens eam in se obligationem suscipiat, & promissarius acceptet, *Mol. Less. Lug. Carden. ca. Probat.* , nam sicut quis potest per donationem dominium rei suæ transferre in alterum ita potest transferre jus ad rem donandam.

774 §. 5. Si promittens voluerit se obligare ex justitia, obligatio est sub mortali ex genere suo id est, manendo in ejus materia peccari potest mortaliter, si nempe materia sit gravis. Putant tamen *Less. L. 2. c. 18. n. 56. Sanch. n. 24. On. n. 150.* alique apud *Pasq. de sacrif. q. 864.* materiam gravem respectu promissionis gratuita requiri quadruplo majorem, quam quæ requiritur ad materiam furti gravis, quia aliquando videtur magis rationabiliter esse invitus, si non restituatur sibi unus aureus aliunde proprius, quam si non dentur quatuor liberaliter promissi: Econtrà *Dicast. l. 2. t. 4. n. 95.* putat materiam de se respectu furti gravem posse etiam hinc esse gravem, est enim jus ipsi per promissionem æquè acquisitum ac per alium titulum: *Cestrop. d. 2. p. 8. n. 6.* melius dicit relinquendum esse arbitrio prudentis consideratâ causâ promittendi & qualitate promittentis ac promissarii.

775 §. 6. Ut res spiritualis promissa censeatur materia gravis, debet in ordine spiritualium esse notabilis, attentâ communi æstimatione hominum, hinc una Missa audienda non censeatur materia gravis: An autem Missa legenda sit materia gravis, dubium est; affirmant *Nav. Suar. Bonac.*

& alii cum *Dicast.* n. 96., quia Missa est maximi valoris, causatque fructum maximum ex opere operato: Econtra negant *Sanch. Fagund. Portell, Mald. F. Lugo. Dian.* aliique cum *Pasq.* supra, quorum aliqui dant rationem, quod pro una Missa detur stipendium parvum, quod non est materia furti gravis: hæc tamen ratio nulla est, nam stipendium non datur velut pretium æquale Missæ, sed tantum pro sustentatione Sacerdotis; itaque ratio debet esse, quod negatio unius Missæ liberaliter promissæ non videatur in communi apud homines rationabiliter dissolvere amicitiam vel graviter lædere charitatem, ergo non censetur res simpliciter notabilis, secundum dicta n. 2. Vide dicenda l. 5. n. 327. Etiam videri potest *Pasq.* q. 865. & seqq., ubi q. 869. adducit multos, qui cum *Burgh cent. 3. cal. 29.* docent eum, qui gratuito promisit integram Missam pluribus, posse unicam Missam lectam satisfacere, sed id merito negant *Suar. Bonac. Dian. Dicast.* aliique multi, quamvis *Tambur. & Gob. t. 3. n. 158.* dicant in raro casu sententiam primam sustineri posse, v. g. si quis Missam promississet Titio, ut gratias ageret Deo pro beneficio illi concessio; Caio autem, ut Deum exoratet pro remittendis ei peccatorum pœnis; & Sempronio, pro impetranda illi à Deo virtute Castitatis, putant enim unam Missam posse satisfacere attribuendo singulis fructum suum, Titio eucharisticum, Caio satisfactorium, Sempronio impetratorium.

§. 7. Si promittens se voluerit obligare tantum ex fidelitate vel gratitudine aliave simili virtute, non autem ex iustitia, *Mol. Nav. Regin. Rebel.* 776

Rebel. Lugo d. 23. à n. 93. Dicast. n. 92. aliique cum Onn. n. 92. probabiliter dicunt non obligare sub mortali, quamvis materia sit gravis, quia tantum peccat contra hoc, quod facta non conformet verbis, in quo non videtur esse gravis inhonestas, uti nec in eo est, quod quis mentiendo verba non conformet menti: Oppositum tamen etiam probabiliter tenent Sanch. aliique cum Lugo n. 55., quia licet hic non sit strictè justitia, tamen est plus quàm obligatio veracitatis, & homines apprehendunt aliquid valde affine justitiæ, cujus violatio sit valde inhonesta reddatque hominem odiosum & valde contemptibilem, cum dici possit perfidus, ita ut videatur esse materia peccati mortalis, sicuti votum Deo factum in materia gravi obligat graviter, quamvis non ex justitia stricta.

777 §. 8. Si promissio fiat tantum externè sine intentione se obligandi, non obligat ex justitia uti dictum est à n. 608.; putant tamen *Vasq. Turm. Lug. à n. 11. Carden. c. 8.*, quod obliget ex fidelitate, quia sicuti obligat veracitas, ut exterius non proferas verba affirmationis, nisi verba sint conformia menti, ita videtur obligare fidelitas, ut exterius non proferas verba promissionis, nisi velis conformare facta verbis. *Si dicas, votum exterius sine intentione se obligandi non obligat nequidem ex fidelitate: Respondet Lugo* votum fieri Deo, quem scimus interna conspiceret, hinc non exigimus à Deo, ut fidat nostræ promissioni tantum externæ: è contrà si externè promittam homini, exigo, ut homo mihi fidat, ergo me obligo ad facta conformanda verbis, hoc enim necesse est, ut mihi fidere possit, & ita exigit humanum

num commercium. Alii contradicunt, quia omnis obligatio etiam fidelitatis videtur esse debere à promittente, ergo si absit ejus consensus, non erit obligatio. De veracitate videtur esse disparitas, nam externè affirmans sine animo affirmandi exercitè dicit se affirmare, & habet intentionem hoc dicendi, cùm tamen non affirmet, ergo mentitur; nihil tale est de fidelitate respectu obligationis aut facti præstandi.

Q. 118. *Quid re ipsa sit acceptatio promissionis & 778*
 quandonam poni debeat. R. §. 1. Acceptatio est actus, quo promissarius admittit voluntatem promittentis, & ideo vult jus contra eum: Malè autem explicatur à *Caramuele* per illa verba, recipiam cras equum, si dederis, nam hæc tantum est affirmatio donationis cras futuræ & non obligationis dandi, quàm tamen promittens assumit, alioquin etiam dicam ex promissione sponsi acceptata non resultare obligationem, quia sponsa tantum dicet, accipiam dominium tui corporis, si dederis, sic autem dominium corporis semper maneret sub libera potestate sponsi, quod est contra naturam promissionis Matrimonii. Videri potest *Carden.* in 1. crisi d. 69. c. 3.

§. 2. Acceptatio promissionis poni debet post 779
 notitiam factæ ab altero promissionis, si enim sufficeret præcedere aut poni sine notitia promissionis, jam vi voluntatis, quâ nunc vellem acquirere, quidquid mihi offeretur, sufficienter acceptarem, quidquid mihi aliquis unquam promittet, adeoque licet nihil rescirem de promissione, nemo posset eam revocare, quia sufficienter acceptassem. Rationem à priori dat *Lugo* d. 23.

n. 67.

n. 67., quia quamdiu tibi non manifestatur promissio, est respectu tui veluti non facta, cum respectu tui necdum in actu secundo significet voluntatem alterius, ergo per eam non sistitur tibi res, ad quam acquireret jus, debet autem tibi fisci saltem intentionaliter, alioquin non poteris eam ullo modo apprehendere & incipere facere tuam.

780 Q. 119. An acceptatio promissionis debeat esse externa. R. Negat Lugo n. 64. eò quòd possit absens, dum solus est, acceptare promissionem, uti & rem donatam ad se missam, hinc videtur frustra requiri, ut externè significet se acceptare. Rationem dat à priori, quia si promissio sit externè manifestata, jam habetur titulus sensibilis sufficiens pro acquirendo dominio, & acceptatio tantùm requiritur, quia nemo cogendus est, ut invitus aliquid acquirat, ad hoc autem ut acquirat non invitus, sufficit acceptatio interna. Econtra affirmat Haun. t. 9. n. 25., quia aliter non censentur duæ illæ voluntates humano modo in unum contractum concurrere, secundùm dicta n. 656.; imò Dicast. n. 155. & Platel. n. 600. dicunt requiri, ut quando promissarius fuerat, acceptet promissionem coram nuntio vel per epistolam directam ad promittentem, facturque Lugo n. 82. promissionem revocari possit, quamdiu ejus acceptatio non manifestatur, licet non sit opus hanc iterum manifestari, promittenti, secundùm dicta n. 659., nam hic tantùm dicimus debere saltem externè manifestari, aliter non cadet sub commercium humanum, quod requiritur, ut contractum constituat.

Q. 120.

Q. 120. An sufficiat ^{acceptatio} æquivocatio tacita, æquivoca, 781
dii post secuta. Bz. §. 1. Tacitam sufficere negant
Tiraq. Rodriq. Turr. & alii, quia is, qui tacet, non
fatetur, uti habetur Reg. 44. Juris in 6., ergo ex
hoc, quòd aliquis taceat, non præsumitur con-
sentire. Econtra sufficere affirmant Mol. Sanch.
& alii cum Dicast. l. 2. t. 4. n. 112. quia quando
agitur de commodo tacentis, qui tacet, consenti-
re videtur, uti habet Reg. 43. Juris in 6. Limitat
Lugo n. 82., nisi res oblata non esset adeo grata
illi, cui offertur, ita ut ex circumstantiis posset
colligi, quòd eam non curaret, tum enim ex hoc,
quòd taceret, non posset colligi consensus, quam-
vis res de cætero illi foret utilis; altera verò re-
gula, qui tacet, non fatetur, habet locum quando
agitur de incommodo tacentis, uti Auctores
communiter explicant; regula autem sic habet:
Is qui tacet non fatetur, sed nec utique negare vide-
tur, unde quamvis contractus sit onerosus, ex
aliis conjecturis conjiciendum est, an tacens vi-
deatur consentire, nec ne.

§. 2. Si acceptatio sit æquivoca, v. g. si fiat 782
his verbis, habeo gratias pro optimo erga me affectu,
sufficit, si re ipsa subsit animus acceptandi, quia
verba æquivoca determinantur per intentio-
nem loquentis.

§. 3. Si promissio fiat præsentis, acceptari de- 783
bet in continenti, vel quasi in continenti, morali-
ter loquendo, L. 137. ff. De verb. oblig., Promis-
for enim censetur nolle diu suspendere consen-
suum suum, nisi aliud constaret, Platel. n. 600.
Quando autem Az. Regin. & Dicast. n. 112. di-
cunt promissionem semel factam, cum non re-
vocatur, durare, ideoque post multum temporis

posse à promissario acceptari, intelligendi sunt quando ex circumstantiis colligi potest ad durare illam intentionem in promittente.

784

Q. 121. Quomodo promissio absenti facta valeat vel acceptari possit. R. Colligi poterit ex sequenti §. 1. Si promissio fiat absenti per verba directa ad absentem, alius, qui praesens est, non potest validè acceptare, *Dicast. l. 2. t. 4. n. 132.* & alibi. Econtra si fiat absenti per verba directa ad alium praesentem, poterit hic praesens quandoque acceptare nomine absentis, v. g. si dicas coram me promitto Titio, qui nunc Romae est, 100., non possum acceptare pro Titio, sed si dicas, promitto tibi, quòd Titio velim dare 100., fieri poterit ut quandoque validè acceptem secundum *Dica. da n. 789.*

785

§. 2. Promittens ordinariè non vult obligare absentem, nisi promissionem ipsemet per epistolam vel nuntium manifestet, hinc promissarius aliunde resciscens invalidè acceptaret, uti communè *Dicast. n. 159. & Haun. t. 9. n. 11.* Quòd si putares promissarium abesse, & diceret ei promittere, quamvis ipse praesens audiret & acceptaret, non obligareris, uti rectè *Lug. 23. n. 73.* Ratio utriusque est, quia ut promissio validè acceptetur, debet promittens illam offerre, sed non offert, quamdiu ipse non dirigit voluntatem suam ad promissarium, ergo. Ordinariè, nam si promittens publicè manifestaret promissionem, eo animo, ut notitia hoc modo ad promissarium perveniret, satis esset per quemcunque deferri.

786

§. 3. Quando promissio commissa fuit nuntio, qui eam offerret, ut alter, si vellet, acceptaret,

ret,
revo
lebit
Matr
bere
com
AA
add
simu
nun
mar
voc
ff.
que
vol
exi
ad
S
ner
pot
ten
Pla
Tur
ri
op
ur
me
Ra
vo
m
m
co
co
M

redes promissarii posse acceptare, quia representant personam defuncti, cui gratia facta est, sed probabilius negant *Less. Castrop. & Haun.* 27, quia intentio promittentis ferebatur ad personam promissarii in se, quæ non amplius est.

788

§. 5. Si promittens mittat nuntium, non indicet promissionem à se factam, sed ut nomine suo promittat, si promittens moriatur ante acceptationem, communior sententia est promissionem non tenere, quia mandatum gratiæ faciendæ, re integrâ, expirat morte mandantis *L. 26. ff. & L. 15. Cod. Mandati.* Excipiunt *Al.* communiter cum *Lugo n. 75. & 80. & Dicast.* 167., nisi factum esset ad causam piam, in cuius præjudicium leges civiles nihil disponunt, rectè probat *Carden.* in 1. crisi. d. 21. c. 8., & c. igitur ex *L. 4. ff. De manumiss. vindicta*, quia procedenter præsumitur, quòd promittens voluit hanc voluntatem suam, etiam post mortem manere, cum maximè sit profutura animæ: ita excipiuntur plures casus relati *l. 1. n. 566.*, præsertim suntque videri etiam ibidem dicta *n. 816. & 817.* Quòd si nuntius esset verus procurator, & promitteret ante cognitam mortem principis mandantis, putat *Dicast. n. 161.* promissionem tenere, hanc enim disparitatem agnoscunt *Al.* apud *Dicast. n. 158.* inter simplicem mandatarium & verum procuratorem, quòd mandatum expiret morte mandantis, acta autem per verum procuratorem, antequam constet de revocatione potestatis, valida sint, excepto tamen Matrimonio, uti habetur *L. 12. ff. De solutionibus*, ubi dicitur, quòd verus procurator fit, cui mandatum est specialiter, vel cui omnium negotiorum

tiorum administratio mandata est. De donationibus per litteras vel nuntium, videri possunt multa apud *Onn.* d. 30. f. 10.

§. 6. Sufficit promissionem pro absente acceptari ab aliquo, quem promissarius deputarit saltem specialiter; imò *Less.* l. 2. c. 18. dub. 7. *Platel.* aliique dicunt etiam generaliter, sed repugnant alii cum *Dicast.* n. 148. Item sufficit acceptari ab aliquo, qui est sub potestate illius, & non est sui juris, v. g. à servo pro domino, à filio-familias pro Patre, à Religioso pro Prælato vel Monasterio, §. *Si quis 4. Inst. De inutil. stipul.*, & ratio est, quia cum his censentur esse una persona. Item sufficit acceptari à gerente curam promissarii, v. g. à Parocho pro Ecclesia; à Patre (imò & Matre secundum *Sanch. & Dicast.* n. 130.) pro filio aut filia; à Tutore vel Curatore pro pupillo aut minorenni; à Principe, Republica aut alio ab his constituto, pro quocumque subdito; denique à quocumque, qui ex acceptatione refert commodum, sicque acceptando agit negotium alterius & suum, v. g. à Creditore, à Socio, à Patre pro Filio, è cuius rebus habet usumfructum, ab Uxore pro Marito, si inde participabit Uxor &c. Item à Cajo, si Sempronius promittat Titio, sub conditione, ut Titius partem det Cajo, quæ omnia adductis legibus probat *Onn.* d. 4. à n. 204. & d. 29. à n. 55. item *Dicast.* dub. 9. & 10.: Unusquisque etiam pupillus validè acceptat promissionem sine authoritate Tutoris, cum id fiat in ejus commodum, L. 9. ff. *De auct. Tutor.* aliique apud *Onn.* d. 29. n. 52., non potest tamen acceptare famulus pro domino, discipulus pro Magistro, Filius emancipatus pro Patre,

quia nec censentur ad hoc esse deputati, nec sunt una cum eis persona, nec faciunt simul in suum commodum, *Sanch. & Dicast. n. 142.*

790 §. 7. Si Titius promittat Cajo fundum hac conditione, ut post mortem Caji spectet ad Sempronium, si Caius hanc promissionem acceptarit, aliqui docent etiam censi acceptam respectu Sempronii, ita ut etiam respectu hujus irrevocabilis, sed *Sanch. & Lugo n. 85.* probabiliter dicunt manere revocabilem respectu Sempronii, quia neque ipse acceptavit; neque Caius potuit acceptare pro illo, si enim potuisset, foret ideo, quod simul redundaret in utilitatem Caji, sed hoc dici non potest, nam sunt duae promissiones, una in favorem Caji, altera in favorem Sempronii, hæc autem altera non redundat in utilitatem sed potius in detrimentum Caji, cum per hanc prohibeatur distrahere et transmittere ad suos hæredes.

791 §. 8. Quivis, etiam privatus, validè acceptat promissionem ad piam causam, uti cum communi *Sanch. de Matrim. l. 1. d. 7. n. 10. Less. n. 4. Dicast. n. 146.*, quod enim fieri potest in favorem dotis, *L. 45. ff. Solutio Matrim.*, hoc merito extenditur ad causam piam: & ita etiam pluribus relatis habet *Castrop. t. 32. d. 2. p. 5. n. 11.* Visum tamen etiam *Onmate n. 66.*

792 §. 9. Acceptatio, quæ ab alio fit, imbibit hanc conditionem, si promissarius approbet, unde quamdiu hic non approbat, promittens non tenetur. *L. 10. ff. De donationibus*, docentque cum communi *Mol. d. 264. Sanch. n. 3. Dicast. n. 151. Onn. n. 68.*

§. 10.

§. 10. Qui pro alio acceptavit promissionem, 793
 non potest eam acceptationem revocare, Covarr.
 Less. Sanch. aliiq; comunititer cum Onn. n. 69. ex Reg.
 33. Juris in 6., Mutare consilium quis non potest in
 alterius detrimentum; unde Reg. 35. ff. De Reg. Ju-
 ris, dicens nihil tam naturale esse, quam eo genere
 quidque dissolvere, quo colligatum est, intelligitur,
 nisi ius tertio sit acquisitum, Dicast. n. 150. Castrop.
 p. 6. n. 7. limitat, si promissio esset facta in gra-
 tiam acceptantis seu stipulantis, non autem in
 gratiam tertii, cui nullum ius esset acquisitum.

Q. 122. Quando cessat obligatio promissionis. 794
 R. Cessat 1. ex consensu partium, secundum Reg.
 Juris paulò ante citatam. 2. Si res promissa fiat
 impossibilis: quòd si postea iterum fiat possibilis,
 redit obligatio, non enim erat sublata sed sus-
 pensa, uti rectè Dicast. n. 175. cum aliis. 3. Si fiat
 pernitiosa vel inutilis promissario, Cajet. Mol.
 Less. Onn. d. 29. n. 154. & alii. 4. Si fiat illicita,
 hinc si promissisti Titio equum, & postea cum ju-
 ramento eundem promittas Cajo, secunda pro-
 missio & juramentum non obligant, quia mate-
 ria ejus est ratione primæ promissionis facta illi-
 cita saltem sub veniali, Lugo d. 23. n. 106. Dicast.
 n. 130. Quòd si Titius cedat iure suo, non ideo
 convalescet secunda promissio, si fuit absoluta,
 quia quod initio invalidum est, tempore non
 convalescit, Sanch. Turr. Lugo n. 107. contra
 Covarr. Econtrà tamen si ex suppositione facti
 illiciti materia promissionis sit licita, & accesserit
 promissio conditionata, v.g. si per unum con-
 tractum promissisti absolutè meretrici aureum
 pro usu corporis, & simul per alium conditiona-

H h 4 rum,

tum, si nempe dedisset usum corporis, teneberis promisso vi contractus conditionati, secundum dicta n. 692., quia hic contractus conditionatus supposito peccato habet objectum licitum, *Mol. Less. Sanch.* aliique plurimi cum *Dicast.* n. 168. Si causa illius finalis non subsistat vel cesset, *Decret.* conf. 86. n. 5. *Castrop.* p. 12. n. 6. cum commun. 6. Si promissarius ex culpa sua non stet promissioni reciprocae, etiam si promissiones non habuerint inter se connexionem, quia frangens eisdem dignus est, ut frangatur eidem, talisque censetur fuisse voluntas promittentis, *Nav. Less. Bonnac. Onn.* n. 185. cum commun. 7. Si res non maneat in eodem statu, quia omnis promissio censetur fieri sub hac conditione tacita, nisi status & circumstantiae notabiliter mutantur, aut saltem per epikian sic interpretanda est, *Less. Mol. Fill. Castrop.* n. 2. *Onn.* n. 153., hanc non teneris si post promissionem pecuniae ante traditionem casu incidas in magnam paupertatem, uti omnino notant; item si promissisti amico, & graves inimicitiae supervenerunt, *Dicast.* n. 120. *Onn.* n. 156. Item si promissisti comitari alterum, & sine gravi tuo damno non possis. Non sufficit tamen qualiscunque non notabilis mutatio, alioquin vix ulla promissio diu obligabit: Neque sufficit nunc animadverti in re difficultatem, quam praevisa vel melius considerata non promississet, cum enim talis difficultas per se in causa rei, tibi imputa, quod non perpenderis melius, *Mol. d.* 272. *Dicast.* n. 119. Itaque requiritur talis status alius, aut talis nunc ab extrinseco superveniens difficultas, ut intentio promittentis secundum iudicium prudentium

tum non videatur se eò extendisse, promissio enim non obligat ultra intentionem promittentis, & sicuti in generali concessione non comprehenduntur ea, quæ quis non concederet, si in speciali peterentur, ita nec in gratuita promissione comprehenduntur illi eventus, qui prudentis viri iudicio exciperentur, si promittenti occurrissent. Et hætenus dicta vera esse dicunt *Less. n. 48. & Dicast. n. 117.*, quamvis additum esset iuramentum, hoc enim non extendebat se longius, neque ad aliud, quàm ad quod obligabat promissio.

Q. 123. An obliget promissio prodiga. R. Ob- 795
 ligat, si solutio rei promissæ non sit peccaminosa, quia quamvis promissio fuerit prodigalitas, executio tamen erit solutio iustitiæ; aliud enim est esse promissionem illicitam & promissionem illiciti, uti dictum est n. 691. notatque *Dicast. l. 2. t. 4. dub. 5.*; sic si nobilis puella cum familiæ offensa, & iustè invitis Parentibus promittat Matrimonium impari, peccat promittendo, sed quia non peccat ineundo, postquam promisit, tenetur inire, *Less. l. 2. C. 18. n. 9. Dicast. supra.*
 Vide dicta p. 1. n. 320.

Q. 124. Quanam promissiones sint jure irritæ. 796
 R. Omnes, quæ dant occasionem peccandi, *Dicast. à n. 170. cum aliis.* Hinc irrita est promissio, si quis promittat alteri remittere obligationem de dolo, de furto, de injuria, *L. 27. §. 4. ff. De pactis, & Reg. 23. ff. De Reg. juris.* Item si uxor illi, cum quo adulteratur vivente marito, promittat Matrimonium, *Cap. Si quis. 8. De eo, qui duxit Matrim.* Item si quis promittat beneficium Ecclesiasticum necdum vacans, *Cap. Ex tenore, 13.*

De concess. præb., in his enim datur occasio machinandi vel optandi mortem. Item quibus auferitur potestas disponendi de rebus suis, v. g. quâ quis promittit non condere aut non revocare testamentum, non instituere alium hæredem nisi institutum, L. 6. Cod. De pactis, docentque Mol. d. 271. Less. n. 24. Dicast. n. 173.

797

Q. 125. *Quid circa contractum donationis sit addendum.* R. Notandum est, quòd pleraque dicta de promissione, etiam intelligi debeant de donatione: Definitur autem donatio, quòd sit contractus, quo plenum rei donatæ dominium gratis statim transfertur in alium, Lugo d. 23. n. 128. Dicitur 1., *Quo plenum dominium transfertur*, per hoc enim distinguitur ab emphyteusi, commodato, precario, deposito, pignore &c. quibus vel non transfertur dominium, vel transfertur tantum dominium utile, ususfructus vel usus. 2. *Gratis*, per quod distinguitur ab emptione & cæteris, ad donationem enim propriè dictam requiritur datio planè liberalis: hinc L. 1. ff. De donat. dicitur, donationem propriè esse, quam donator propter nullam aliam causam facit, quàm ut liberalitatem & munificentiam exerceat; hinc datio mutui non est donatio, quia fore repetitur. 3. *Statim transfertur*, per quod distinguitur à promissione gratuita, quæ tendit in donationem pro futuro faciendam, unde ex promissione oritur obligatio donandi, ex donatione obligatio tradendi, & traditio est veluti executio donationis. Videri potest *Om. d. 30. l. 1. & seqq.* Quamvis autem donatio regulariter in dubio non præsumatur, ex L. *Cum de indebito*, ff. *De probat.*, ex causa tamen remunerationis, & quan-

quando merita præcesserunt, præsumitur, ex L. Si verò non remunerandi, §. Papinianus ff. Mandati, Menoch. Mantica, Lugo in Resp. mor. l. 5. d. 1. Circa donationes sub conditione vel modo aliquo factas, vide Delbene de Immun. Eccl. c. 17. d. 5.

D V B I V M III.

Quibus casibus donatio possit revocari.

Resp. I. Donatio inter vivos, hoc est, quâ quis vult se vivo rem absolutè alterius esse, potest revocari (etsi res jam tradita sit) tribus casibus; nisi tamen donatio fuerit remuneratoria, aut facta sit Ecclesiæ, vel Monasterio. Sunt autem hi Casus :

I. Si donatarius enormiter ingratus sit: ut si donanti atroces injurias inferat; si inopiâ presum non alat, &c. Quod notandum pro filiis, quibus parentes omnia donarunt. & eos postea negligunt, Sylv. Less. l. 2. c. 18. d. 14. Bon. Trul. c. 17. d. 12. Neque valet pactum, ut donatio non possit ob ingratitudinē revocari. Bart. & alii 8. Lugo d. 23. n. 174. Dia. p. 8. t. 6. R. 57. Debet tamen ingratitudo coram iudice probari, ante cujus sententiam donatarius non tenetur restituere. Mol. ro. 2. tr. 2. d. 281. n. 5. Lugo n. 172. & alii 4. Di m. R. 58. Post eam verò, etiam fructus perceptos. post litem contestatam, Mol. n. 6. Dicastill. Dia. R. 58. Hæredes autem non possunt revocare ob eas causas, ob quas donator ipse potuisset, si eas ipse scivit, & tacuit; secus si ignoravit, Gomez. Hurt.

» *Hurt. Wading. Lugo. n. 169. Dian. R. 54.*

» II. Et quidem hæc revocatio etiam habet
» locum in legato, respectu legatarii, si defunctum
» testatorem gravi injuriâ afficiat, v. g. uxorem
» ejus carnaliter cognoscat. *Molin: Dicast: Dian: R:*
» 58.

» III. Non habet autem locum, 1. in donationi-
» bus factis Ecclesiæ, tametsi Prælatus vel Clerus
» fuerit ingratus; quia facta est ob bonum animæ
» testatoris, & principaliter Deo, qui ingratus esse
» non potest. *Less: n: 105: Lugo n: 175: Hurt: Hur:*
» *Wading: Dia: R: 65.* In donatione remuneratoria
» (v. g. pro beneficiis aliis non debitis, & aliquo
» modo æquivalentibus) quia potius est remune-
» ratio, quam donatio: Remuneratoria autem cen-
» setur, 1. Si donator in ipsa donatione expressè
» meminerit meritorum, vel 2. Si de meritis constet.
» 3. In dubio, *Dia. R. 115. 116. 17. 19. 20. ex Barb. & c.*

» IV. Si quis prole carens magnam partem bo-
» norum donaverit, & postea nascatur proles;
» quia ex juris dispositione inest donationi hæc
» tacita conditio, nisi nascantur mihi liberi. Et
» quidem si facta sit extraneo, revocari potest to-
» ta; si alicui ascendentium, ut patri vel avo; vel si
» Ecclesiæ, aut causis piis, tantum revocari potest,
» quantum necessarium est, ut filii habeant legiti-
» mam: Quanquam rectè notat *Lessius*, ad ædifica-
» tionem expedire, ut quod Ecclesiæ vel Mona-
» sterio datum est, Prælatus totum restituat. Por-
» rò etsi juraverit se non revocaturum donatio-
» nem, adhuc potest liberis natis revocare; quia
» hoc juramentum non excludit tacitam condi-
» tionem dictam. Excipe, nisi expressè etiam hanc
» conditionem excluserit; tunc enim ipse revoca-

re non posset; possent tamen ejus liberi, post mortem patris. *Bon. Less. c. 18. d. 14.* An autem hæc revocatio locum habeat, si filii nascantur illegitimi, qui postea legitimentur, *v. Dia. R. 63. & 64.* Item an in donatione remuneratoria, *R. 65.* Ubi cum *Molin. disp. 282. n. 9. & 11. & aliis 6.* negat, nisi excedat causam.

V. Si donatio fuerit inofficiosa, contra officium paternæ pietatis; ut si pater tantum donet, ut filii priventur suâ portione legitimâ; tunc enim post mortem patris possunt filii revocare. *Nav. c. 16. Less. n. 12.* Licet donatio fuerit juramento confirmata. *Megal. & alii 5. Dian. p. 8. t. 6. R. 66.* Imò etiam vivente patre, licet enim ante mortem patris non debeat legitima, ut tradenda, debetur tamen ut conservanda. Hinc si pater bona dissipet, potest à filio per judicem cogi, ut servet legitimam, ne is post mortem patris careat alimentis, Ita probabiliter *Dian. l. c. ex aliis 6. contra Less. l. c. & c.* An autem & quando donatio rescindenda in totum, *vid. Dian. l. c.*

VI. Per supervenientiam liberorum; ut probabiliter affirmat *Dian. R. 78. ex aliis 4. contra quosdam.* Si tamen pater non revocaverit, non potest à filiis postea natis revocari, nisi pro ratione falcidiæ, sive ex testamento, sive ab intestato successerint. *Ibid.*

A D D E N D A.

Q, 126. Quid præterea notandum circa revocationem donationis ob ingratitude. *R. Seqq. §. 1. Dicast. negat opus esse sententiâ Judicis, quâ declaretur ingratitude, eò quòd donatio non subsistat*

fiat defectu intentionis, unde secundum hunc donatori licebit occulta compensatio; sed opposita sententia est communior & tenenda, quam ex Jure probat *Haun. t. 9. n. 260.*

800 §. 2. Donatio facta ingrato revocari potest, etiamsi fuerit jurata, quia ex dispositione juris imbibebat hanc conditionem, si non fueris ingratus, ergo juramentum etiam erat conditionatum: si tamen donator insuper jurasset se non revocaturum donationem, etiamsi donatarius esset ingratus, teneretur servare juramentum, secundum dicta n. 727. Putant tamen *Mol. Lay. Haun. n. 265.* Judicem etiam sæcularem posse relaxare hoc juramentum in pœnam ingratitude. Vide dicta n. 742.

801 §. 3. Hæredes donatoris etiam tum possunt revocare donationem, si donator sciens & volens revocare non potuit morte præventus, aut vi, metu, aliterve impeditus: Item si donatarius non expleat gravamen impositum, *Haun. n. 264.* De cætero actio revocatoria donationis non datur hæredi, uti in his terminis docent *Glossa & alii ad L. Generaliter, Cod. de Revoc. Donat.*, & exprimitur his verbis, *Nulla licentia concedenda donatoris successoribus hujusmodi querimoniarum primordium instituere, Laym. l. 3. t. 4. c. 12. n. 17.* Et idem est de legato, quod est donatio quædam à defuncto relicta, ab hærede præstanda, *Instit. De legatis §. 1.* Nec refert, quòd non legasset, si hoc vel illud prævidisset, nam hoc non obstante legavit absolute, nec voluntas illa nunc revocari potest: quando autem est locus revocationi secundum Legem, *Generaliter*, adhuc requiritur sententia Judicis, nam Lex dicit, *Ex his enim tantummodo*
causis,

causis, si fuerint in iudicium dilucidis argumentis cognitionaliter approbatæ, etiam donationes in eos factas everti concedimus.

§. 4. Si donatarius, qui fuit ingratus, obierit 802 ante revocationem, hæredes ingrati non tenentur restituere rem donatam, quia jus repetendi oritur ex crimine donatarii velut in pœnam contra personam ipsam ingrati, *Castrop. t. 32. d. 2. p. 31. §. 4. n. 6. Haun. n. 265* contra *Mol.*, si tamen res necdum esset tradita, posset excipi contra hæredes ingrati donatarii, *Castrop. n. 7. cum aliis.*

§. 5. Quamvis res bonâ fide fuerit consumpta, donatarius ingratus tenebitur restituere, quantum ex illa factus fuerit ditior, *Haun. n. 269.* 803

§. 6. Donatio non potest revocari, nequidem ob graviores causas, quàm quæ exprimuntur in jure, *Mol. Lug. Onn. d. 30. n. 174.* & alii cum *Haun. n. 264.* contra *Gomez, Clarum* & multos Juristas, Ratio est, quia cum lex sit positiva ac pœnalis, & tantum dicat in his casibus concedi revocationem, extendi non debet ad alios, secundum regulam communem, quòd in pœnalibus non valeat extensio ad casus similes. Causæ autem in jure expressæ sunt hæ, 1. Si donatorem atroci injuria seu verbali seu reali affecerit. 2. Si manus impias intulerit donatori. 3. Si notabile damnum in bonis fortunæ illi fecerit. 4. Si vitæ periculum causaverit, etiamsi mors non sequatur. 5. Si nolit implere gravamina imposita in donatione sub tali modo adjecto facta; hinc quamvis donatarius negaret alimenta donatori inopi, *Haun. n. 268.* putat non posse revocari. Vide *Onn. totâf. 11.* 804

§. 7. Mater jure novo tantum potest in his 805
casu-

casibus revocare donationem filio ingrato factam, 1. Si filius vitæ Matris insidietur. 2. Si manus impias in eam intulerit. 3. Si totius substantiæ molitus sit jacturam, *Novell. 22. cap. 35.* De revocatione donationis. Videri possunt plura apud *Onn.*, S. 12. ob supernascentiam liberorum: S. 13. ob inofficiositatem ratione legitima: S. 14. ob defraudationem creditorum.

306 *Q. 127. Quid præterea statuunt jura circa donationes. R. Seqq. §. 1.* Donatio inter Conjuges vivos pura & merè liberalis, aut inter sponfos, & relata ad tempus Matrimonii; item donatio Patris facta filio legitimo non emancipato, regulariter non statim firma est, sed ad donantis arbitrium revocabilis, nisi firmetur juramento aut morte donantis, ita cum aliis *Haun. t. 9. à n. 175. & à n. 233.* Si tamen donarentur reciproca æquivalentia, valerent illæ donationes, *Haun. à n. 198.* Item valet, si sit remuneratoria, *Haun. à n. 201.* Qualis censetur, si maritus senex donet uxori, aut ignobilis nobili, *Haun. n. 207.* Idem est de donatione, quæ fit ob causam, tum enim non est pura; item de donatione relata ad tempus soluti Matrimonii, *Haun. n. 212.* Imò quævis esset pura, si tamen ex revocatione sequeretur discordiæ conjugum vel amicorum, *Don. Caram. & Burgh. cent. 3. cas. 90.* dicunt esse irrevocabilem; debet autem in omnibus his casibus res aliquo modo fuisse tradita, ut donatio valeat secutâ morte donantis, *Haun. n. 221.* Quod si sint donationes Matris, Avi & Avix maternæ, jura eas non irritant, uti nec Patris factas illegitimo, *Tamb. l. 5. c. 4. §. 2. n. 2.*

307 §. 2. Donatio Patris facta filio in causa necessa-

cessaria præterquam ad alimenta censetur co-
acta, nisi Pater aliter expresserit, uti si Pater dedit
aliquid filio, ut à carcere liberaretur, in quem ob
delictum coniectus erat, hinc mortuo Patre te-
nebitur filius hoc donatum conferre cum cæte-
ris ad divisionem: Non tenetur tamen, si Pater
expresserit nolle conferri, aut si prudenter possit
judicari dedisse liberaliter, *Tamb. n. 4.*, inferens
ea, quæ Pater dat in dotem, ob nuptias, ob Ordines,
pro ingressu in Religionem, esse mortuo
Patre conferenda in divisionem cum Fratribus,
non item quæ dat pro solenni convivio in nup-
tius, in prima Missa, in ingressu Religionis; *Barbosa*
tamen aliique apud *Dian. p. 9. t. 8. R. 24.* dicunt
data ob Matrimonium vel ad Ordines referri ad
alimenta, & non esse conferenda in divisionem.

§. 3. Non obstante Bullâ *Clementis VIII.* 808
confirmata ab *Urbano VIII.*, prohibente dona-
tiones fieri à Religiosis, possunt tam Superiores
quàm subditi cum Superiorum venia ex justa
causa, ob solam utilitatem Ordinis, aut ne in-
curratur aliqua offensa vel averfio, aut si ita dece-
at & conveniat, facere donationes moderatas
aut convivia, *Mol. Vad. Less. in auct. v. Religiosus.*
cas. 5. Haun. à n. 254. Ratio est, quia causa fina-
lis prohibitionis fuit impedire dissipationem
bonorum, & ambitionem in casibus particulari-
bus, ergo si largiendo non dissipentur bona Re-
ligionis, nec sit occasio ambitionis per tale do-
num, nil agitur contra Bullas: Hinc maximè li-
cerent, si fierent titulo gratitudinis aut remunc-
rationis, cum hæ non sint propriè donationes,
Lugo d. 23. n. 141. Addit *Less. supra*, si quis edat
librum, posse aliqua exemplaria donare amicis,

alioquin habebitur rusticus vel fordidus vel superbus: Item licere donare ad conciliandos Monasterio vel Ordini animos: Item ad pertrahendum aliquem ad fidem vel ad avertendum à flagitiis: Item quantumcunque multum in elemosynam, quia elemosynæ non veniunt hic nomine munerum; uti nec quæ dantur Officialibus aut Quæstoribus quasi ad redimendam vexam, *Less. supra*: Item licitum est dare ex sola benevolentia res non excedentes pretium duorum aureorum. Quòd si Religiosus dissipans vel ambitiosus donaret duos aureos vel aliquid æquivalens, etiam sine venia Superioris, peccaret quidem graviter contra paupertatem, sed non incideret in pœnas Bullæ, uti respondit *Clemens VIII. restè Haun. n. 249.*, duo enim aurei in Jure censentur quid modicum in ordine ad tales pœnas incurrendas. De conviviiis autem specialiter videri potest *Gob. in Quin. t. 5. c. 26. n. 42.* De cetero etiam Abbates donare prohibentur, etiam ex redditibus mensalibus, industrialibus aut deputatis pro recreatione: neque in lusum exponere possunt magnas summas, cum sint Religiosi paupertatem professi, non Domini talium pecuniarum, quæ manent sub dominio Ordinis vel Monasterii. Etiam falsa est persuasio, quòd Rectores in Societate JESU possint donare summam 10. Imperialium. Quantum autem sine peccato liceat huic aut isti Superiori vel Subdito, pendet à consuetudine approbata, & modo, quo in quovis Ordine receptæ sunt Bullæ *Clem. & Urban.*

309

§. 4. Quid in jure intelligatur nomine solidi, varix sunt sententiæ apud *Haun. n. 192.* *Wesemb.*

semb. putat singulos solidos facere ducatum hungaricum, in Camera autem imperiali, adeoque nunc in Germania 500. solidi faciunt 1200. Imperiales, supra quos si quis liberaliter unâ vice donet, donatio est invalida, ut habet *Busenb.* supra: multas tamen exceptiones affert *Onn. d. 30. S. 6.*, addens valere jure naturali, adeoque firmari juramento.

§. 5. Circa donationem coloratam, quâ quis 810
vendit debitum minori pretio, v. g. debitum
1000. pro 500., vide, quæ addemus n. 990.

Q. 128. Quid addendum sit circa donationes fa- 811
ctas Ecclesiæ vel ad pias causas. R. Seqq. §. 1. Docent
AA communiter, inter quos *Mol. Covarr. Pa-*
norm. Bald. Fas. Bartol. Less. Fagund. Lugo, Onn. n.
84. alique cum *Carden.* in 1. crisi d. 21. n. 5. do-
nationem omnium bonorum factam Ecclesiæ
vel causæ piæ esse licitam & validam, quamvis
jus civile resistat, eò quòd talis donatio reddat
impotentem testamenti, quod jus civile repro-
bat, L. *Stipulatio hoc modo*, ff. *De verb. oblig.*, sed
hoc jus non potest disponere in præjudicium
causæ piæ, uti latè probat *Carden.* à n. 49. & plu-
ribus à n. 159., Juri autem naturali non repu-
gnat talis donatio, imò maximè est conformis
consilio Christi.

§. 2. Non obstat jus ullum civile, quominus 812
Pater possit etiam in præjudicium legitimæ filio-
rum facere eleemosynas vel sumptus in favorem
causæ piæ, & quamvis Juristæ communiter cum
Gutt. Baeza, Sanch. & aliis probabiliter dicant
Patrem non posse insumere ultra quintam par-
tem bonorum in præjudicium legitimæ filio-
rum; item quamvis *Mol. Less. Sanch.* & alii 42.

AA. apud *Carden.* n. 57. etiam probabiliter dicant filium profitentem in Religione non posse relinquere bona sua Monasterio in præjudicium legitimæ Parentum sed debere hanc ipsis competentem relinquere, tamen *Lop. Rodriq. Nav. Vega, Cord.* aliique cum *Carden.* putant sententias oppositas esse probabiliores, dicuntque Patrem infumere posse magnas quantitates in elemosynas & opera pia etiam in præjudicium legitimæ filiorum; in quantum hæc dicit excessum supra alimenta jure naturæ debita; quòd magis valet de legitima à filiis relinquenda Parentibus, probatque hæc fusè *Carden.* à n. 80. 1. Autoritate SS. PP. 2. Ex lege & consiliis Evangelicis. 3. Ex eo, quia sic non minuitur legitima, quia ad legitimam non spectant, nisi necessaria ad alimenta & relicta post prudentem dispositionem factam. 4. Quia jus civile nil disponit aut disponere potest in præjudicium causæ piæ; confirmatque pluribus argumentis à n. 185., & objectionibus respondet à n. 201.

813

§. 3. Pro dispositionibus quibuscunque ad pias causas, ut nempe ampla sit earum interpretatio, & sine diminutione persolvantur, videri potest *Tiraq.* de privilegiis piæ causæ, ubi inter cætera citatis legibus & Authoribus docet sequentia, 1. Privilegia piæ causæ latissimè sunt exponenda & tanquam favorabilia extenduntur, privil. 162. 2. In dispositis ad pias causas servandum est jus canonicum, ita statuente etiam civili jure, privil. 163., unde in piis causis habenda est ratio naturalis tantum & divini Juris, privil. 164., sic licet feudum de jure civili alienari non possit, tamen hoc non procedit de jure

cano-

canonico, sed alienari potest in piam causam, privileg. 104. 3. In dubiis semper favendum est piæ causæ, nam licet aliàs, quando jura partium sunt obscura, favendum sit reo potius quàm actori, fallit tamen in pia causa, in qua, si æquales sint utrimque probationes, semper pro pia causa judicandum est, etiamsi sustineat partes actoris, privileg. 146. Vide plura toto illo tractatu. Item dicenda à n. 1130. Circa acceptationem autem dispositionis ad piam causam, videri potest idem Tiraq. privileg. 115. & quæ diximus n. 788. & 791.

D V B I V M IV.

Quid sit donatio mortis causâ, & an possit revocari: quomodo, & quibus competat.

Resp. I. Donatio mortis causâ, quâ quis sic⁸¹⁴ donat, ut velit rem esse alterius primùm post suam mortem; ùt si dicas, do tibi hoc post mortem meam, vel cùm moriar, vel quia timeo me nunc moriturum; revocari potest etiam tribus casibus his:

I. Si donatorem pœniteat, five expressè, five implicite; ùt si rem illam donet alteri. Less. l. 2. c. 18. d. 14.

II. Si dedit intuitu alicujus instantis periculi, ex quo metuit mortem, hoc ipso, quo periculum evasit, censetur tacite revocata donatio; ùt si quis det in gravi morbo, vel instante prælio, Bon. to. 2. de contr. d. 3. q. 13. p. ult. n. 20.

III. Si donatarius moriatur ante donatorem, ipso jure revocata est: ùt etiam accidit in testamentis & legatis: secus est in promissione & donatione inter vivos, quæ transit ad hæredes.

» Quòd si autem donator promiserit, se non re-
 » vocaturum, transit in donationem inter vivos.

» *V. Less. n. 116. Molin. to. 2. tr. 2. d. 287. n. 9. &*
 » *16. Azor l. 11. cap. 11. q. 4. Bon. l. c.*

» Resp. II. Hæc donatio fieri debet in præsen-
 » tem, *Dian. p. 8. t. 6. R. 67. & alii 5.* nec valet in
 » absentem sine nuntio ad hoc destinato vel epi-
 » stola; licet valeat ut fidei commissum, si fuerint
 » adhibiti testes, *Dian. & c. l. c.* Valet autem pro-
 » babiliter; etsi donatarius præsens tacuerit.

» Resp. III. Donare mortis causâ possunt o-
 » mnes & soli, qui possunt testari, excepto filio-
 » familias, qui licet testamentum condere nullo
 » modo possit, cum hoc sit juris publici; donare
 » tamen mortis causâ, cum id sit juris privati, po-
 » test, si adsit patris consensus expressus: imò sine
 » hoc donare eum posse, non tantum de castren-
 » sibus, sed etiam adventitiis, probabile censet
 » *Dian. R. 68. & 69.* Hinc donare sic possunt Mi-
 » nores 25. annis, etiam sine consensu sui Cura-
 » toris. *Dian. R. 71. ex Molin. d. 288. n. 27. & alii*
 » *9.* Non autem usurarius; nisi prius usuris satis-
 » fecerit, vel cautionem præstiterit (potest ta-
 » men ad causas pias, *Ibid. R. 73. ex Fagund. &*
 » *alii 6.*) Nec surdus & mutus à natura, secus si
 » casu superveniente; vel si surdus sit, aut mutus
 » tantum: licet donare inter vivos possit secun-
 » dum quosdam. *Azor, Dian. p. 5. t. 6. R. 12.*

A D D E N D A.

§ 15 Q. 129. Quid præterea notandum sit circa dona-
 » tionem mortis causâ. R. Seqq. §. 1. Donatio mortis
 » causâ est quid medium inter donationem inter
 » vivos & inter dispositionem ultimæ voluntatis,
 » habetque commune cum donatione inter vivos
 » quòd

quòd acceptari debeat & non requirat accessio-
nem hæreditatis, sed morte donatoris secutâ
afferat plenum dominium: è contrâ cum dispo-
sitione ultimæ voluntatis habet commune, quòd
requirat solennitatem testium, quòd maneat re-
vocabilis &c. De quibus plura videri possunt
apud *Castrop.* t. 32. d. 2. p. 13. n. 5. *¶* *lls.* t. 4. d. 2.
n. 380. *Onn.* d. 31. f. 1. 2. & 5.

§. 2. Si donationi factæ mortis causâ adjece- 816
ris pactum non revocandi, *Gl. Bald. Decius* aliique
dicunt non ideo fieri donationem inter vivos,
quia clâusula illa censetur frustra adjecta, cum
enim contractus ille sit ex natura sua revocabilis,
etiam revocabilis est clâusula, cum accessorium
sequatur principale: Econtrâ plures alii cum
Gom. Fachin. Mol. Castrop. p. 14. n. 5. *Onn.* sect. 7.
¶ *lls.* n. 379. *Busenb.* suprâ dicunt fieri donatio-
nem inter vivos, & ita videtur haberi L. 27. ff.
De mortis causâ Donat. Unde ad rationem adver-
sariorum negandum est suppositum, non enim
manet mortis causâ, sed convertitur in dona-
tionem inter vivos; *Onn.* f. 8.

§. 3. Si donans tantum promisisset, aut etiam 817
jurâisset non contravenire donationi mortis cau-
sâ, *Mol.* putat etiam fieri donationem inter vi-
vos, quia promissio non contraveniendi vide-
tur esse promissio non revocandi: sed opposi-
tum tenent plures cum *Castrop.* n. 7., quia con-
travenire est aliquid agere contra donationem
perseverantem, revocare autem hîc non est age-
re aliquid contra donationem mortis causâ, sed
est huic maximè conforme, cum donatio mortis
causâ ex natura sua sit semper revocabilis: Quo-
modo autem revocetur, vide apud *Onn.* f. 6.

818

§. 4. In dubio, an donatio sit facta inter vivos an causâ mortis, *Castrop.* n. 2. aliique cum *Om.* à n. 84. universaliter dicunt censendam esse veluti inter vivos factam, quia donatio inter vivos præcipuum locum obtinet, uti ex legibus tradunt *Gl.* & alii; hinc inferunt, si donatio absque ulla mentione mortis concepta sit etiam ab infirmo morti proximo, censendam esse inter vivos, quia *L. 42. ff. supra*, dicitur eum, qui absolute donaret non tam mortis causâ quàm morientem donare, docentque etiam *Lop. Gom. Gutt. Mol.* d. 287. in fine. Et licet fiat mentio mortis, non ideo semper est mortis causâ, uti si quis dicat, dono Titio 100., quæ ei post mortem meam præstentur; tempus enim mortis non adjicitur donationi sed ejus executioni, ergo non obstat donationi inter vivos, *Mol. Gutt. Fachin, Castrop.* n. 3. Quod si aliqua donatio valere non potuit mortis causâ, sed tantum inter vivos, in dubio dicendum est fuisse inter vivos, quia standum est pro valore actûs. *Menoch. Nald.* & alii cum *Lugo* in *Resp. Mor.* l. 5. d. 1.

D V B I V M V

Quid sit Commodatum, Precarium & Depositum.

819 " *Resp.* Commodatum est contractus, quo res
 " aliqua mobilis vel immobilis, quoad solum
 " usum gratuito conceditur, idque ad aliquod
 " certum tempus explicitè vel implicitè determi-
 " natum: explicitè, ut si dicas: commodo tibi
 hunc

hunc librum vel domum ad unum mensem :²²
 implicite, ut si dicas, commodo tibi librum, ut²²
 eum describas; quia tunc implicite tantum tem-
 poris determinatur, quantum necessarium est²²
 ad commodè describendum. ²²

Precarium est, quo conceditur, petenti res u-²²
 tenda, non ad certum tempus (in quo differt à²²
 Commodato) sed donec concedens repetat, ²²
 sive expressè, sive tacite, ut si det alteri, aut ven-²²
 dat. *Laym. l. 3. t. 4. c. 14.*

Depositum est, quo aliquid traditur custodi-²²
 endum, ut integrum reddatur. Et communiter²²
 est res mobilis, vel se movens, ut vestis, equus,²²
 &c. *Vnde circa hæc resolvuntur:* ²²

I. Commodator non potest repetere absque²²
 injuria ante definitum tempus. *Lay. l. c.* ²²

II. Quod si tamen commodanti damnum im-²²
 pendeat, potest repetere, licet simile damnum²²
 impenderet commodatario ex rei ante tempus²²
 repetitione, ut habet *Less. l. 2. c. 27. d. 5.*, quia, ut²²
 ait *Nav.*, in commodatione intelligitur tacita²²
 hæc conditio, nisi interea contigerit rem esse²²
 necessariam commodanti. *Lay. l. c.* ²²

III. Si depositarius bonâ fide existimet de-²²
 positori non displiciturum, si re depositâ utatur,²²
 licebit uti, aliàs non. *Less. d. 2.* ²²

IV. Si depositum sit res usu consumptibilis, ut²²
 triticum, vinum, pecunia, quæ exponendo absu-²²
 mitur, eaque tradita sit certo numero & ponde-²²
 re & mensurâ, non videtur depositarius pecca-²²
 re, saltem graviter, iis utens, si certus sit, se tan-²²
 tundem ejusdem bonitatis habiturum, quando²²
 repetetur *Less. l. c.* Secus si pecunia tradita fuerit²²
 sacculo vel arcæ inclusa, vel munita sigillo. *Syl.* ²²

» *Azor, Less. Bon. V. Trul. to. 2. l. 7. c. 25. d. 1. n. 8.*
 » Verùm si is, cui res commodata, locata, depõ-
 » ta, & pignorata est, negligenter custodiat, ita
 » pereat; negligentia autem non sit Theologica
 » culpa mortalis, probabile est, quod dixi ex *Soto*,
 » *Sa*, non teneri ad restitutionem in conscientia.
 » Alii tamen aliter sentiunt, nimirum teneri resti-
 » tuere, qui juridicam culpam in custodiendo
 » contraxerit, si ea fuerit lata, & subinde si levis
 » tantùm, imò & aliquando si levissima, (nimirum
 » quando depositio facta est in commodum
 » utriusque, & si pretium pro custodia recipiat)
 » V. apud *Less. l. 2. cap. 7. d. 8. Lay. cap. 25.* ubi do-
 » cet depositarium tantùm teneri de dolo, vel
 » culpa crassa, quæ dolo æquiparetur.

» Dicitur autem juridica culpa lata, seu crassa,
 » cùm quis facit, aut omittit, quod ut plurimum
 » non facerent vel omitterent in ea re homines
 » suæ professionis, ut v. g. si quis rem apud se de-
 » positam relinquit in loco publico, et si inadver-
 » tenter. Levis autem dicitur, cùm quis facit vel
 » omittit, quod non facerent vel omitterent ho-
 » mines suæ professionis diligentes, ut si quis de-
 » positum relinquit in suo cubiculo, sed negligit
 » ostium claudere. Levissima dicitur, cùm facit
 » vel omittit, quod non facerent homines dili-
 » gentissimi, ut si quis ostium quidem obseravit,
 » sed neglexerit tentare manu, an esset bene
 » clausum.

» V. Sartores, Molitores, & cæteri artifices, qui-
 » bus res traditur polienda, vel immutanda: item
 » nautæ, aurigæ, caupones, apud quos res depo-
 » nuntur, tenentur ex levi culpa; quia depositio
 » fit etiam in commodum ipsorum; imò *Sylv. V.*

Nauta,

Nauta, vult eos teneri ex levissima, ex l. 1. ff. Depo-
 siti. Idque cautum esse ad vitandas eorum frau-
 des. Quod etiam *Less. n. 45.* & *Trul. n. 6.* putant
 esse probabile in utroque foro, si quis iis rem ex-
 pressè tradiderit custodiendam: si autem ipsis
 tantum videntibus deposuerit, v. g. in diverso
 rio, navi, &c. ne quidem ex lata teneri. *V. Bon.*
Trul. Dian. p. 1. t. 8. R. 74.

VI. Si depositarius (idem est de commoda-
 rio) dubitet, an depositum suâ culpâ perierit,
 non tenetur in conscientia ad restitutionem.
Sanch. de Matr. l. 2. d. 41. n. 18. quia in dubio non
 præsumitur delictum, ex *L. Merito. ff. Pro socio. V.*
Dian. p. 4. t. 3. R. 30. In foro tamen externo, si
 res depositarii manserint incolumes, præsumi-
 tur de dolo, nisi depositarius probet depositum
 casu periisse, & non potuisse simul cum rebus
 suis, (imminente v. g. incendio) servari, tunc
 enim non teneretur, quia præsumptio doli ces-
 saret. *Vid. Palaum t. 1. d. 3. p. 4. Trul. n. 9.*

VII. Si domino repetenti depositum, remise-
 rit per hominem, qui fidelis habebatur, isque
 sibi retinuerit, vel perdidit, domino periisse
 dicit *Molina*, citatus ab *Escob. Vid. Trul. n. 8.*

VIII. Deponens rem usu non consumptibi-
 lem, potest à depositario pro ejus usu aliquid
 accipere; quia is est pretio æstimabilis: licet eo
 casu, non depositi, sed locati & conducti con-
 tractus sit dicendus.) Secus si sit usu consumpti-
 bilis; tunc enim depositum, eo ipso quòd de-
 positarius incipit eo uti, induit naturam mutui,
 ex quo (seclusâ ratione lucri cessantis, &c.) ni-
 hil licet accipere, ut *vid. dub. s. q. & Bonac. to. 2. de*
contract. d. 3. q. 14. p. 3. Trull. l. c.

A D.

A D D E N D A.

§ 20 Q. 130. Quid notandum sit præterea circa commodatum. R. Seqq. §. 1. Qui habet jus utendi re commodatâ, potest, per se loquendo, etiam alteri commodare, nisi aliter conventum sit, vel sciretur de contraria mente commodantis, potest enim alteri cedere jus suum.

§ 21 §. 2. Commodatarius tenetur ad sumptus ordinarios circa rem commodatam, v.g. tenetur pascere equum commodatum; item solere ferreis instruere, si deficient: Ad extraordinarios tamen sumptus non tenetur, v.g. non tenetur ad sumptus pro equo sanando, si ægrotare incipiat pro redimendo, si ab hoste capiatur; quare poterit tum monere dominum, ut sumptus minime staret vel rem recipiat, se enim curam ejus dimittere: si tamen monere non posset dominum, teneretur exponere sumptus, & postea rem deducere, donec refunderentur, *Lugo. d. 8. n. 134.*

§ 22 §. 3. Damnum, quod commodatarius patitur à re commodata, debet compensare commodans, si scivit vitium rei, & prævidit damnum inde secuturum, quod impedire poterat & debebat, uti si equus commodatus fuit morbidus & infecit alios: Si autem nescivit, damnum spectat ad commodatarium.

§ 23 §. 4. Pupillus, Minor, prodigus, non obligantur, si dent commodato absque autoritate Tutorum vel Curatorum, sed possunt repetere ante tempus designatum; si tamen aliquid commodato acceperint, commodans obligatur illis servare tempus.

§ 24 Q. 131. Quid circa precarium sit addendum. R. Seqq.

Seqq. §. 1. Hic contractus dicitur precarium, quia ad preces alterius seu petitionem conceditur omnino gratis sine obligatione relinquendi: qui autem precario dat, non debet sine necessitate statim datum repetere, alioquin videbitur voluisse illudere aut alteri creare damnum, *Abbas & alii.*

§. 2. Precarium revocatur seu finitur, 1. voluntate concedentis expressâ vel tacitâ, uti habet *Busenb.* 2. Morte ejus, cui res est concessa, censetur enim gratia quasi personalis, quæ ad hæredes non transit. 3. Si res fuit absolutè concessa, non finitur morte concedentis, sed si incepit uti, potest pergere, donec hæredes revocent; si autem est concessa cum addito, quamdiu voluero vel placuerit mihi, secundùm *Abb. Mol. Laym.* & alios communiter, finitur morte concedentis, quia tum cessat ejus voluntas & placitum; oppositum tamen tenent *Castrop. Tamb. l. 9. t. 7. c. 7. n. 9. Spor. t. 6. c. 7. n. 161.*, quia in communi modo loquendi hæ formulæ, donec voluero, ad meum placitum, videntur æquivalere his, donec revocavero, quousque non revocavero, atqui solâ morte concedentis non ponitur revocatio, & si concesserit sub clausula, donec revocavero, secundùm omnes non finitur morte concedentis, ergo nec illo priori modo: Sed tenenda est altera sententia, propter dicta l. 1. n. 836.

Q. 132. Quid addendum sit circa depositum. R. Seqq. 826

§. 1. Contractus depositi intervenit, si quis in domo alterius ponat aliquid, & dicat, *tibi trado hanc rem in custodiam*, & ipse consentiat sive acceptet, *Mol. t. 2. d. 522. Onn. d. 54. à n. 6. alii-*
que

que communiter ; Potestque etiam Religiosus esse depositarius, *Mol. d. 525. Lugo d. 33. n. 6.* Est autem in rigore contractus depositi, si quis promittat operam suam ad custodiendam rem alienam sibi traditam, nullo convento pretio aut mercede, sed omnino gratis, AA cum *Onn. n. 8.*

827

§. 2. Qui habet depositum vel pignus, & non utitur, non tenetur nequidem ordinarios sumptus facere necessarios ad rem conservandam vel recuperandam, *Lugo d. 8. n. 134.* Si autem utatur, tenetur ad ordinarios, & uti aliqui volunt, ad extraordinarios leves, hos enim meretur usus : Quod si extraordinarios & magnos fecerit, multi cum *Haun. n. 850.* negant, alii cum *Mol. Lugo & Onn.* affirmant posse tamdiu retinere depositum, donec refundantur.

828

§. 3. Si deponens repetat rem depositam in suum vel aliorum detrimentum, secundum dicta à n. 426. non est obligatio reddendi: si autem bona deponentis sunt publicata vel addicta fisco, depositum est fisco tradendum. Quod si deponens esset furatus rem, communior tenet habere esse reddendam domino, non furi, sed videri debent dicta à n. 98.

829

§. 4. Si depositarius re depositâ negotietur domino incio, multi cum *Beja p. 1. cas. 42. Roder. l. 3. q. 11. à n. 10. & Dian. p. 2. t. 8. R. 32.* dicunt illum posse sibi lucrum illud retinere, quod admittit *Lugo d. 17. n. 49.* si fiat sine ullo praedicio aut periculo domini : Idem dicit *Rosmer* facere posse thesaurarium Principis vel Eleemosynarium ; imò quamvis Princeps prohiberet eum ita uti, tamen si utatur, putat non peccare graviter contra justitiam, quia nullum damnum

grave

grave infert contra jus proprietatis; poterit tamen peccare leviter contra obedientiam & jus jurisdictionis.

§. 5. Si nihil expressè deductum sit in pactum, 830
præsumitur depositarius se obligasse ad custodiendum tamdiu depositum, quamdiu à deponente non repetetur, vel non emerferit causa urgens & improvisa restituendi, *Havn.* Quòd si contractui appositum sit certum tempus custodiendi, v. g. per biennium, deponens repetere poterit, quando volet, etiam ante evolutum biennium, quia terminus ille est adjectus, non in præjudicium deponentis, sed ad finiendam obligationem depositarii: Excipe, nisi in utilitatem depositarii concessa fuisset facultas interea utendi re depositâ & de ea ad libitum disponendi, cum obligatione deponentis ad non prævertendum tempus, sed tum non maneret purum depositum, verùm accederet ratio mutui vel alterius contractûs innominati, uti dicitur n. 898.

§. 6. Si creditor deponentis denuntiet depositario, ne reddat rem depositam, priusquam sibi creditori sit satisfactum, jura statuunt, ne depositarius pareat, alioquin damna & usuras solvere teneatur deponenti, neque enim oppositor impedire potest restitutionem depositi faciendam deponenti, *Onn.* à n. 73. Neque oppositio tertii numeratur inter casus non reddendi depositum, *Lugo* n. 7. *Onn.* à n. 89. Imò licet deponens esset debitor, depositarius retinere non posset, uti vult *Stryck.* sect. 2. c. 3. §. 5.

§. 7. Quamvis non sit purè depositum, sed 832
depositum cum facultate utendi, uti si apud *Campforem* vel *Bancarium* deponas pecuniam

niam, tamen pro hac custodia & obligatione reddendi, quando alter volet, peti posse moderatum stipendium, docent ex comamuni *Mol. & Less. l. 2. c. 23. à n. 47.* quia sic se obligare ad custodiendum & restituendum videtur esse pretio æstimabile, quæstus autem, qui interim habetur ex usu pecuniæ, non est fructus pecuniæ sed industriæ. Videri potest *Roder. à n. 1.*

833 §. 8. Contractus depositi est bonæ fidei & non stricti juris, uti tenent omnes cum *Om. n. 24.* hinc secundum dicta n. 583. in illo habet Judex facultatem ex æquo & bono judicandi, quod si fuerit visum, etiamsi in conventionem id expressum non sit, *Mol. d. 259.*

834 §. 9. Ad depositum refertur sequestrum: sequestrum autem est contractus, quo res inter plures controversa apud aliquem, qui dicitur sequester, deponitur, eo fine, ut postea tradatur, qui causam evicerit: si tamen pro hac re offeratur idonea cautio, per quam abunde cautum sit parti adversæ pro re conservanda & restituenda, jura statuunt, ut res sequestrata postea caventi relaxetur.

Hic dicta de commodato, precario & deposito, ferè habentur in legibus apud *Haun. t. 10. c. 7. & 8.* & apud *Lugo d. 33.* Ex qua autem culpa aliquis teneatur resarcire damna causata rei commodatæ, precario concessæ vel depositæ, dictum est à n. 170.

DUBIUM VI.

Quid sit mutuum.

835 " Resp. Est contractus, quo rei alicujus, numero, pondere vel mensurâ constantis dominium à mu-

à mutuante in mutuatarium transfertur, cum obligatione restituendi eandem, vel similem specie & bonitate. Propriè autem mutuum ferè est in rebus usu consumptilibus, inter quas etiam est pecunia: quæ licet non absumatur, nec pereat in se, perit tamen exponenti. Distinguitur à permutatione, quòd in ea reddatur res alterius speciei. Item à pignore, hypotheca, deposito, commodato & locato, quòd dominium in iis non transferatur, sed usus tantum. *Bon. to. 2. de contr. d. 3. q. 3. p. 1. Unde resolves:*

I. Mutuans obligatur monere de vitio rei, alioqui ad damnum tenetur in conscientia.

II. Item non repetere rem ante tempus, nisi ipse sit in pari necessitate.

III. Item præstare casum fortuitum mutuatarium tenetur, cum penes hunc rei dominium sit, & rem eadem quantitate & qualitate reddere suo tempore.

IV. In vero mutuo lucrum aliquod accipere non licet, quia est usura: de quo *duibo sequenti.*

A D D E N D A.

Q. 133. Quid præterea sit notandum circa mutuum. *R. Seq. §. 1.* Mutuum inde dicitur, quia quod mutuo tibi, ex meo fit tuum, uti habetur §. 1. *Instit. Quibus modis re contrahitur obligatio.* Quando autem dicitur debere esse de re fungibili, per tò fungibile intelligitur res talis, ut una in commutationibus & solutionibus possit fungi vi- ces, seu substitui loco alterius, unde *Haun. t. 9. n. 313.* & *Less.* negant equos, boves &c. esse materiã mutui, affirmant tamen *Mol. & Lugo d. 25. n. 1.*

§. 2. De ratione mutui est, ut transferat do-

Tom. III,

kk

mini-

minium, alter enim accipit jus ad omnes illius usus; & quod attinet pecunias aliasque res firmiles, quæ unico sui usu consumuntur, cuicumque conceditur usus, ex hoc ipso conceditur res, inquit *S. Th.* 2. 2. q. 78. a. 1. in O., & a. 2. ad 5. absolute dicit, *ille, qui mutuatur pecuniam, transfert dominium pecuniæ in eum, cui mutuatur*: Unde audiendus non est *Caram.* docens mutuantem retinere dominium morale rei mutuatae, nam si hoc verum est, ergo mutuatarius non potest pro libito destruere, commutare vel alienare rem mutuata: Deinde licite accipiet aliquid ex vi mutui, erit enim re ipsa locatum vel commodatum, pro quibus licite aliquid accipitur.

838 §. 3. Si pecunia furtiva à fure mihi detur cum obligatione reddendi certo tempore, propriè non est mutuum, quia per hoc non transfertur in me dominium, si tamen consumpserim bona fide, per consumptionem censetur fieri mutuum & translatum dominium, L. 13. ff. *De rebus creditis*. Si autem consumpserim malâ fide, non est mutuum, sed domino rei datur actio contra me, atque si pecunia illa adhuc extaret, L. 11. §. finali. ff. *ibidem*.

839 §. 4. Jura apud *Laym.* l. 3. t. 4. c. 15. n. 6. statuunt, ut si acceptum sit mutuum pro Ecclesia vel causa pia, pro civitate vel oppido, pro pupillo, pro minorenni, sive per hos ipsos cum Administratorum aut Tutorum consensu, sive per Administratores aut Tutores ipsos, illi, pro quibus acceptum est, non teneantur reddere, nisi mutuans probet in utilitatem illorum esse expensum: datur tamen mutuanti actio in accipientem, & accipienti datur actio in illos, pro quibus

bus accepit, dummodo probet se in utilitatem eorum convertisse; si autem acceperunt sine consensu, tenentur restituere, quantum facti sunt ditiores, cujus probatio incumbit mutuanti.

§. 5. Si quis fidens alteri scribat obligationem quasi acceperit mutuo, si interim non acceperit, potest intra biennium creditori mutuum repenti opponere exceptionem non numeratæ pecuniæ, & tum Creditor debet positivè probare, quòd pecuniam ipsi dederit, alioquin cadet causa, licet alterius exhibeat obligationem: è contrà si creditor fidens debitori ei dederit quitantiam, & nihilominus hic non solvat, potest creditor intra dies 30. excipere, tumque tenebitur debitor probare se solvisse, aliàs iterum cogetur solvere, nec juvabit exhibere quitantiam, ideoque in his meritò adhibendi sunt vel Notarius publicus, vel testes, *Mol. Laym. Lugo n. 5. Haun. à n. 295.*

§. 6. Qui mutuum accepit in auro, satisfacit solvendo æquivalens in argento, nisi aliter conventum sit, *Fachin. Mol. Rebell. Castrop. Tamb. Burgh. cent. 3. cas. 66. flls. r. 4. d. 2, n. 429. & alii contra Bartol. Bald. Panorm. Covar. & alios,* Ratio est, quia in communi commercio aurum & argentum æquata secundum valorem, censentur idem esse: non potest tamen reddi, v. g. triticum pro pecunia, quia hæc esset permutatio, quam non tenetur facere, qui mutuavit. Vide dicta n. 115.

§. 7. Occasione *Macedonii*, qui filiis-familias etiam puberibus dabat mutuum, reddendum post mortem Parentum, sicque illos movebat

vebat ad optandam vel inferendam Parentibus mortem, factum est senatus-consultum, dictum Macedonianum, quo statuitur tali mutuanti reddendam non esse pecuniam mutuatam; quod pro foro externo obligat secundum omnes, ideoque negatur omnis actio ad repetendum: An autem teneat etiam de jure naturali & pro conscientia; disputant Authores; affirmant *Barzol. Innoc. Panorm. Less. Sanch. Laym. Lugo* s. 1. *Haun.* n. 327. *Spor.* t. 6. c. 4. n. 24. alique communius, quia leges potuerunt hoc justè statuere in pecuniam mutuantis; neque videtur filius-familias posse renuntiare huic exceptioni, quia non est privilegium in favorem ipsius sed Parentum, *Haun.* n. 328. Quòd si jurasset servare, alique affirmant, alii adhuc negant teneri, *Haun.* dicit tantum teneri, si fieri possit sine præjudicio Parentis. Econtra filios-familias jure naturali & in conscientia manere obligatos docent *Covarr. Fach. Rebell. Ills.* n. 430., quia *L. 9. §. ult. ff. De S.C. Mac.* dicitur, si filii-familias ultro restituisent mutuum, non posse eos repetere solutum per actionem indebiti, nec legem voluisse eos exonerare; & statim subditur *L. 10. Quia naturalis obligatio manet. Conf.*, nam certum est illos naturaliter obligari, si jus non impediatur, dubium autem est, an impediatur, ergo est possessio pro obligatione; & hæc sententia spectato textu videtur probabilior: Casus tamen, in quibus tale mutuum tenet etiam in prima sententia, sunt sequentes, 1. Si filius peculium castrense vel quasi castrense habeat, aut administrationem peculii adventitii, aut post emancipationem ratificaverit. 2. Si miles fuit, quando accepit mutuum. 3. Si publi-

publicè videbatur esse sui juris : addunt *Abb. & Laym. n. 5.* , si mutuans ob ignorantiam culpâ vacat. 4. Si accepit Patre consentiente aut sciente & non contradicente. 5. Si accepit in tali necessitate, in qua pietas Patris recusare non poterat. 6. Si expendit in rem aut negotiationem Patris. 7. Si accepit mutuum, non in pecunia, sed re alia, quâ uteretur. V. *Onn. d. 52. à n. 207.*

§. 8. Certum est eum, qui scit vel etiam probabiliter credit se non posse solvere , nec accepturum ut possit, non posse pecuniam mutuò vel ad censum accipere, nisi in eo casu, in quo liceret occultè & more furum accipere, uti dictum est p. 1. à n. 950. & colligitur ex dictis hìc n. 17. & 380., alioquin æquivaleret furto, uti rectè *Less. in Auct. v. Mutuum*, cas. 5. Ad quid autem teneatur mutuò accipiens in extrema necessitate , colligitur ex dictis l. 2. n. 207. & ex dicendis n. 894.

§. 9. Si nullum tempus sit designatum, quandoam repeti possit mutuum, in primis repetendum non est ante usum & expletum finem , ob quem datum est: deinde determinatio temporis facienda est ex circumstantiis, v.g. frumentū agricolæ mutuatum in hyeme, est mutuatum usque ad messè; pecunia mercatori ad nundinas eunti, usque dum vendiderit merces; Opifici, usque dum vendiderit operas; si tempore penuriæ tu pauper mutues alteri modium farinæ, intelligitur una vel altera septimana, sed tempore abundantia, etiam mensis: Quòd si sis dives, & mutuarius sit pauper, intelligitur etiam annus, ita *Tamb. l. 8. t. 3. c. 8. §. 1. n. 5. & 11. item §. 5. n. 11. Spor. 11. 6.*

DUBIUM VII.

Quid sit Usura.

45 ³³ Resp. Est lucrum immediatè proveniens ex
³⁴ mutuo, ita ut mutuans supra sortem, id est, sum-
³⁵ mam capitale, lucretur aliquid, quod sit pecu-
³⁶ niâ æstimabile; ita ut lucrum tale præcisè in-
³⁷ tendatur ratione mutui: Quod planè iniquum
³⁸ est, & grave peccatum contra jus humanum &
³⁹ divinum; cum mutuans acquirat lucrum ex re
⁴⁰ jam non amplius sua; quia res mutuata jam
⁴¹ transit in dominium mutuatarii, ut patet ex de-
⁴² finitione. Et regula generalis: *Omne pactum, re-*
⁴³ *gravamen, sive onus additum mutuo, præter id, quod*
⁴⁴ *ei proprium & intrinsecum est, reddit contractum u-*
⁴⁵ *surarium, Bon. to. 2. de contr. d. 3. q. 3. p. 2. C. Lu-*
⁴⁶ *go, disp. 25. sect. 2. &c. Unde resol.*

⁴⁷ I. Peccat graviter ex genere suo exercens ta-
⁴⁸ lem usuram, etsi sit mentalis tantùm, absque
⁴⁹ externo pacto. Dicitur enim usura mentalis,
⁵⁰ cum quis intentionem habet recipiendi aliquid
⁵¹ ex mutuo ultra sortem, æt si exterius pacto id
⁵² non exprimat: sicut realis seu exterior usura di-
⁵³ citur, cum quis intentionem illam per pactum
⁵⁴ aliquod exprimit, quod aliquando tantùm im-
⁵⁵ plicitè fit in aliquo contractu, & vocatur usura
⁵⁶ palliata; cum videlicet contrahentes præten-
⁵⁷ dunt alium contractum emptionis, locationis,
⁵⁸ &c. in quo tamen revera usurarium quid inter-
⁵⁹ venit. Vide exempla apud *Tol. l. 5. c. 31.*

⁶⁰ II. Non est usura, si mutuans nihil intendat
⁶¹ ut pretium, sed tantùm speret aliquid ex grati-
⁶² tudine, & eâ intentione illi aliquid donetur,
⁶³ licet

licet illud ut finem principalem intendat. *Mol.*²⁰
*to. 2. d. 305. n. 6. Lugo, s. 4.*²⁰

III. Quod si tamen intelligeret sibi aliquid²⁰
 donatum non gratis, ut putabat, sed ut debitum²⁰
 ratione mutui, teneretur restituere, quantum²⁰
 inde ditior evasisset, ut habet *Sa, V. Usura. Lugo*²⁰
*n. 32.*²⁰

IV. Nec est usura dare mutuum alterius ami-²⁰
 citiæ captandæ causâ, atque ulterius inde spera-²⁰
 re officium; quia amicitia non æstimatur pre-²⁰
 tio, *Lugo n. 29.*²⁰

V. Pactum tamen de obtinendo à mutuata-²⁰
 rio (vel ejus operâ) officio aliquo, illicitum est,²⁰
 & usurarium, ita commun. *Mol. d. 310. Less. Sal.*²⁰
*Lugo n. 41. contra Nav. et si Salas de usur. d. 9. n. 4.*²⁰
 eum excuset, qui mutuat aliquid cum pacto, ut²⁰
 statim præstetur aliquod beneficium ex grati-²⁰
 tudine, v. *Trul. to. 2. l. 7. c. 19. d. 7.*²⁰

VI. Pactum, ut à mutuataro conferatur be-²⁰
 neficium Ecclesiasticum, est usura, (& simonia)²⁰
 quia cogitur is subire novum onus.²⁰

VII. Non est usura, cum quis non potens sua²⁰
 recuperare, mutuat, ut sibi reddantur sua, vel ne²⁰
 sibi iniquè noceatur: quia hæc jure jam antè de-²⁰
 bentur; & sic non facit lucrum, nec imponit no-²⁰
 vam obligationem. *Bon. q. 1. p. 3. n. 15. ex Azor,*²⁰
*Regin. &c.*²⁰

VIII. Nec est usura exigere aliquid ratione²⁰
 periculi recuperationis, difficultatum vel ex-²⁰
 pensarum, quæ erunt vel metuuntur in recu-²⁰
 peranda sorte: quia pretio æstimari potest,²⁰
 quod quis se in tale periculum & difficultatem²⁰
 conjiciat, *Kon. d. 3. p. 5.* Necesse tamen esse, ut²⁰
 periculum istud, &c. deducatur in pactum ex-²⁰

"pressè vel tacitè, docet Laym. l. 3. t. 4. c. 16. n. 1.
 "ex Medin. Tol. Mol. Less. l. 2. c. 20. d. 13. &c. Idem
 "dicit Lugo n. 80. Et sic liciti sunt Montes pieta-
 "tis, ut vocant, hoc est, thesauri quidam, qui in
 "refugium pauperum à Repub. vel Principe re-
 "ponuntur, ut inde pauperibus gratis mutuetur,
 "ita tamen, ut parum retribuunt pro expensis,
 "quæ fiunt in ministros, & conservatione tali-
 "um Montium. Vid. Tol. l. 5. c. 38. Bon. l. c. p. 12.
 "Less. d. 23.

" IX. Nec est usura, si timens difficultatem aut
 "fraudem mutuatarii in reddendo tempore
 "constituto, paciscaris, ut si tunc non solvat, ali-
 "quid det præter capitale loco pœnæ: quæ pœnæ
 "licitè exigetur, dummodo non fiat aliâ intentio-
 "ne, quàm ut mutuatarius sic quasi constringatur,
 "ne suâ culpâ fallat. Unde si mutuatarius absque
 "sua culpa non possit solvere, non licebit pœ-
 "nam exigere, ut habet Tol. cap. 32. n. 1. qui ait,
 "manifestum esse argumentum pravæ intentio-
 "nis, si optes non solvi tibi præfixo tempore, ut
 "pœnam recipias: ac simpliciter usuram fore, si
 "certò sciens alterum non valiturum solvere,
 "adhuc tali pœnâ oneres. V. Bon. p. 7. Mol. t. 2.
 "d. 317. Less. d. 15.

" X. Nec est usura, pacisci & accipere aliquid
 "ratione damni emergentis, (siquidem mutuunt
 "verè illius causa fit) aut lucri cessantis, vel cessa-
 "turi, dummodo de hoc præmoneatur mutua-
 "rius; ut si volebas domum reficere, aut poteras
 "nunc comòdo tempore emere triticum, privando
 "autem te tuâ pecuniâ in dando mutuo, corrumpit
 "domus, & postea cariùs emes triticum: item
 "non poteris lucrari cum tua pecunia, quod po-
 "terás

teras & volebas negociando, ita ut mutuatio sit
 verè causa lucri cessantis. Ubi notat *Tol. n. 3. sup.*
 ponendum in hoc titulo lucri cessantis, 1. Quòd
 verè volueris cum ea pecunia negociari, & non
 habeas aliam. 2. Quòd malis negociando aliter ve-
 lucrari, quàm sic mutuando, ita ut mutues tan-
 tùm in gratiam mutuatarii, 3. Ut minùs exigas
 quàm lucrari poteras, & deductis expensis, quia
 lucrum cessans non est actu, sed in potentia &
 variis adhuc eventibus obnoxium. Unde ad ar-
 bitrium viri prudentis, pro majore vel minore
 ejus certitudine, æstimare id poteris & sic cum
 mutuatario de eo pacisci. *S. Thom. a. 1. ad 2. Mol. d. 3 14. Salas dub. 18. &c. Lugo d. 25. f. 6. Bon. p. 4.*
 Hinc qui non habuit animum negociandi, vel si
 non erant, nec brevi sperabantur merces, vel
 non erat moraliter certus de lucro, nihil potest
 accipere ultra sortem, quia mutuatio ista verè
 non fuit causa lucri cessantis. Eadem ex causa u-
 sura est, si mercatores credito vendentes, ali-
 quid ultra pretium rigorosum accipiant titulo
 lucri cessantis: v. g. rem tantùm valentem 100.
 vendant pro 105. numerandis post annum, quia
 vendendo ad creditum (quod est virtualis mu-
 tuatio) plures habent emptores, plurisque res
 vendunt, & sic compensatur lucrum cessans, at-
 que adeo illud non cessat ratione hujus vendi-
 tionis. *Dian. p. 2. t. 8. R. 34. Trul. d. 9. n. 3. V. dub. seq.*

XI. Mutuare frumentum vetus cum obligatio-
 ne, ut restituatur novum, (præsertim certo
 tempore) est usura, si mutuans sciat novum fo-
 re melius, & majoris pretii. *Syl. Nav. Trul: d. 15.*
 n. 11.

XII. Est usura ex communi sententia, si des-

mutuum, ut postea mutuarius ex debito civili obligetur tibi rursus mutuari, aut vendere, vel apud te in tua officina emere merces, aut operas suas locare : quia talis obligatio est res pretio æstimabilis, cum privet mutuarium potestate alibi emendi & locandi operas. *Less. d. 8. Lugo. n. 46. v. Lay. l. 3. t. 4. c. 16. n. 3. Bon. p. 3.*

XIII. Usura est, mutuare Principi vel Reipub. eo pacto, ut interim, dum non solvitur, sis liber à tributis vel oneribus justis solvendis. *Salas, Lugo. n. 64. ex commun.*

XIV. Item mutuare eâ lege, ut mutuarius eam pecuniam exigat à debitore mutuantis, quo non facile extorquebit. Quod addo ; quia si sponte onus illud suscipiat, eò quòd facile possit obtinere, non erit usura. *Ibid. & Bon. l. c.*

XV. Item si frumentum, quod alibi habes, des mutuum, obligando, ut tibi reddatur hic vel alibi, (cum majoribus sumptibus, vel laboribus) ubi plùs valet. *Ibid.*

XVI. Usura etiam est, obligare mutuarium, ut partem mutui accipiat in mercibus, quibus non indiget. *Ibid.*

XVII. In mutuo pecuniario, nisi aliter conventum sit, si quis det mutuos v. g. 100. florenos, non potest exigere plùs, quàm eorum pretium & valor tunc fuerit : Unde si eorum valor tunc augeatur, non potest repetere 100, quia reciperet aliquid supra sortem. Quòd si valor decre-scat, debet mutuarius reddere plùs quàm 100, quia aliàs non restitueret ad æqualitatem, *v. Less. c. 22. d. 8. Lay. n. 15. Bon. l. c.*

XVIII. In mutuo tamen aliarum rerum, ut vini, tritici, &c. aliter se res habet, quia si quis

v. g. mutuet alteri 10. modios tritici, five preti-
um crescat five non, potest repetere 10. Ratio
disparitatis est, quia in pecunia non spectatur
ordinariè, (nisi aliter conventum sit ob certas
& licitas causas) nisi valor five pretium; Unde
non debet restitui, nisi pretium æquale. At verò
in frumentis, &c. spectatur ipsa materia, quia
non petitur mutuum frumentum propter pre-
tium frumenti, sed propter ipsum corpus &
substantiam, ergo si crescat pretium illius, po-
test repetere tot mensuras, quot dedit mutuo.
Interim tamen quidam de his rebus eodem
modo loquuntur, quo de moneta. *V. Laym. n. 20*
14. & Bon. l. c.

Quæres. Quæ obligatio & pœna sit usura-
riorum, & cooperantium.

Resp. I. Usurarius, etiam non manifestus, ac
hæredes tenentur restituere, imò etiam omnes
ii, qui ex parte usurarii cooperantur efficaciter,
v. g. iudices, domini temporales, notarii, famu-
li, advocati, qui quovis modo juvant vel cogunt
mutuarios ad solutionem usurarum. Dixi (po-
sitive seu efficaciter) quia habendo se negativè,
possunt permittere usurarios ob justam causam
& necessitatem pauperum. Præterea in praxi,
ex præsumpta voluntate mutuatariorum, ferè
excusantur minùs principales famuli. *II.* Usura-
rius publicus five notorius, non debet admitti
ad communionem altaris, nec absolvi, do-
nec restituat usuras, nec sepeliri in loco sacro,
& qui scienter sepelit, ipso facto est excommu-
nicatus. *III.* Addit *Lay. n. 21.* ejus testamentum
ipso jure irritum esse, nisi ante mortem resti-
tuerit. *Vide Less. Bon. Trull. d. 12.*

A D.

A D D E N D A.

- 846 Q. 134. Quid sit contractus usurae, & in quo consistat ejus iniquitas. R. §. 1. Usura sumpta pro lucro rectè definitur à *Busenb.*; sed sumpta pro contractu definitur, contractus mutui, in quo ex stricta obligatione redditur aliquid temporale & pretio æstimabile ultra sortem, præcisè ratione mutui. Prohiberi autem illam jure humano, divino & naturali probat *Sporer* t. 6. c. 4. à n. 110. Nec posse concedi jure civili, latè ostendit *Gasp. Roder.* de ann. rediv. l. 3. q. 4. à n. 71.
- 847 §. 2. *S. Th.* opusc. 73. c. 7. ait, *Usura in mutuis vitium est, quia corrumpit liberalitatem, cujus est mutuum dare gratis.... Corruptit etiam debitum finem, quia accipitur spe lucris: Iniquitas autem sive injustitia illius in eo consistit, quòd mutuans capiat lucrum ex re aliena, nam mutuum est res mutuatarium & non mutuarium, uti n. 837: dictum est, hinc usuram vocat rapinam *S. Ambros.* Cap: *Si quis.* 14. *Quæst.* 4. & *S. August.* Cap. *Quid dicam.* ibidem, vocat truncidationem pauperis. *Si dicas,* concedens solum usum rei v. g. elocatae, potest pro eo aliquid accipere, ergo multò magis concedens etiam dominium. R. N. conseq., concedens dominium non potest negare usum, quia res fit alterius, & consequenter etiam omnis ejus usus, ergo mutuans ex vi usûs nihil potest accipere; sed nec pro dominio, quia postea recipiet æquivalens: è contrà elocans aut per similem contractum concedens solum usum manet dominus rei, & cum res fructificet domino suo, hæc illi affert tale commodum ex usu: hinc *S. Th.* 2. 2. q. 78. a. 1. ad 6. dicit, si quis pecuniam peteret ab altero, non ad expo-*

exponendum, sed ad solam ostentationem, aut loco pignoris, non fore usuram pro illo usu aliquid accipere, quia esset veluti locatio vel commodatio, & pecunia haberet se tantum veluti alia supellex permanens concessa ad ornatum vel securitatem, uti notat *Carden.* in 1. crisi. d. 63. n. 117., quamvis adhuc putet *Palav.* l. 4. n. 144. fore in hoc aliquam injustitiam, quia utilitas, quæ Commodatario provenit, non est ex natura pecuniæ, sed ex aliis circumstantiis pertinentibus ad ipsam personam commodatarii, adeoque hæ non erunt pretio vendibiles à commodante; deinde etiam, quia per talem usura nihil decedit de valore vel pretio pecuniæ, nec commodans ideo patitur ullum incommodum, uti supponitur.

Q. 135. An in usura detur parvitas materiae. R. 848
 Dubitarunt aliqui apud *Dian.* p. 5. t. 5. R. 30., quia quidquid etiam minutissimum accipitur supra sortem est usura: sed ratio ista nulla est, sicuti enim quidquid accipitur invito domino est furtum, sed non ideo grave, ita licet omne, quod accipitur supra sortem, esset usura, non ideo esset gravis, itaque dicendum cum *Lugo* d. 25. n. 252. aliisque passim dari in ea parvitatem materiae, si nempe sit injuria levis seu leviter tantum damnosa.

Q. 136. An aliquando sit obligatio gratis dandi mutuum. R. 849
 Affirmativè, & quidem etiam cum periculo fortis, nam Charitas sæpe obligat ad eleemosynam, quæ res propria donetur sine spe quidquam recuperandi, uti dictum est l. 2. n. 200. & 207., ergo magis ad mutuum cum spe recuperandi sortem, hoc enim est minus. Et id videtur

detur velle *Christus* Luc. 6. v. 34., *Si mutuum dederitis his, à quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant equalia. Neque dicas, id esse puri consilii, nam v. 35. subdit, verumtamen diligite inimicos vestros, benefacite & mutuum date nihil inde sperantes, est autem præceptum diligendi inimicos & beneficium præstandi proximo, secundum dicta l. 2. n. 182. & à n. 200., Christus autem similiter loquitur de gratis mutuando: & quidem verbis illis Christi contineri præceptum prohibens usuras docent AA communiter cum *Sal. Lugo* & aliis: atque ideo *Urb. III.* & *Leo X.* apud *Moy. t. 1. c. 6. d. 6. q. ult. n. 13.* ex eodem loco usuras damnant, estque hoc accommodatum præsentis miseræ proximi, cui in necessitate gravi facilius erit petere mutuum quàm eleemosynam: Hinc cum *Vasq.* & aliis contra *Bonac.* in Dec. d. 3. q. 4. p. 6. n. 16. dicendum est, quando ex præcepto Charitatis obligor dare mutuum, me non posse ob lucrum cessans aliquid accipere supra sortem, quia licet ex justitia non teneor mutuare, tamen absolutè teneor sub peccato, ergo in conscientia non potero petere lucrum ab hoc mutuatorio. An autem obliger proximo extremè indigenti donare vel sufficiat dare mutuum, dictum est l. 2. n. 207.*

850 Q. 137. An aliquando liceat mutuantibus accipere aliquid supra sortem. R. Aliqui absolutè negant, 1. Quia *Christus* Luc. 6. id improbat. 2. Quia Cap. Quod autem, & seqq. 14. q. 3. dicitur, Si plus quàm dedisti, exspectes accipere, fœnerator es: Quidquid supra datum exigitur, usura est: Quidquid sortis accedit, usura est: Quidquid ultra sortem exigitur, usura

sura est &c. Sed communis sententia est licere aliquid accipere, si accedat justus aliquis titulus, & constabit ex dicendis; Unde Christus, & citatae leges aliaque similes, aut etiam SS: PP: familia dicentes tantum loquuntur de eo, quod per se est, & quando aliquid acciperetur ratione mutui, non autem si per accidens aliunde accederet justus titulus.

Q. 138. *Quid notandum sit circa titulum accipiendi aliquid ob periculum sortis.* R. Seqq: §. 1. Hunc titulum esse justum, docent ferè omnes contra paucos apud *Dian.* p. 1. t. 8. R. 37. Et id verum esse, quando esset periculum tantum probabile amittendæ sortis, tenent *Silv. Serra, Moya* supra à n. 2. aliique cum *Castrop:* d. 4. p. 17. n. 3. Ratio est, quia hinc & nunc non obligor mutuare, uti suppono, nam *dare mutuum non semper tenetur homo*, inquit, *S:Th: 2:2:q:78:a:1:ad 3.*, ergo nec obligor subire illud periculum, illud autem subire est pretio æstimabile, uti certum est, & manifestè ostendit ex jure & Authoribus *Covarr:* l. 3. variarum c: 2: n: 5., ergo si subeam in favorem mutuatarii, possum ideo accipere aliquid.

Objicies. Periculum sortis est aliquid intrinsicum mutuo, ergo non potest vendi à mutuantem, sicuti qui mutuat alteri equum, non potest ei vendere celeritatem equi, quia hæc celeritas est aliquid ipsius equi mutuati, cujus dominium acquirit mutuatarius. 2. Quod exigitur pro periculo sortis, etiam est expositum periculo, ergo licebit in infinitum plus & plus exigere ratione periculi. 3. Petendo aliquid propter periculum, augetur periculum, quia quò plus debebit, tantò majus erit periculum, ne non satisfaciat, ergo injustè

injustè petitur: 4: Quantum quis meretur subiens periculum pro alio, tantum meretur alius liberans eum isto periculo, sed mutuarius restituens sortem liberat mutuantem isto periculo, ergo ei iterum debebitur hoc, quod dedit: R. Ad 1. N. antec., nam periculum fortis est aliquid extrinsecum, quod aptum est facere, ut fors perdat, v. g. socordia, prodigalitas mutuarii, aut aliud imminens periculum jacturæ, cui periculo alioquin non subeundo mutuans exponit suam sortem. Ad 2. N. conseq., sed arbitrio prudentum taxari debet, quantum ideo possit exigi. Ad 3. N. antec., nam quotannis recipiens partem propter periculum, quamvis postea totam sortem amittat, minus damnum patietur, & interea mutuarius poterit lucrari ex mutuo, ergo non augetur periculum fortis. Ad 4. Si hoc faciat antevertendo periculum C., si postquam mutuarius jam sustinuit periculum, N., si autem mutuarius restituat sortem, mutuans jam antecedenter sustinuerat periculum illius perdendæ, quod periculum tum erat tali pretio æstimabile.

Inst. 1. Hoc semper compensatur per curam, quam debet habere mutuarius, pro reddenda sorte; item per hoc, quod mutuans interea liberat alii periculis amittendi sortem, per fures, receptores, incendia. R. N. aff., quia non obstant eâ curâ reddendi & securitate ab illis aliis periculis, supponimus mutuantem esse in vero & majore periculo amittendi sortem, uti dicitur n. 854.

Inst. 2. S. Th. opusc. 73. c. 6. ait, Ratio periculi etiam circa sortem non tollit rationem usuræ in mutuo, uti probatur in Cap. Naviganti. R. S. Th. explicans
 dus

us est, uti n. seq. Caput illud explicabitur.

§. 2. Multò magis licitum est mutuanti acci- 853
pere aliquid, si in se suscipiat periculum rei mu-
tuatæ, v. g. si navigaturo in Angliam mutuet pe-
cunias, & in se suscipiat periculum transporta-
tionis in Angliam: Ratio patet ex dictis, quia cer-
tum est hoc esse pretio æstimabile, probatque
latè Covarr. suprà, & Roder. l. 3. q. 5. à n. 52.

Obj. Cap. Naviganti, ult. De usuris, dicitur,
*Naviganti vel eunti ad nundinas certam mutuans pe-
cuniæ quantitatem, eò quòd suscepit in se periculum,
recepturus aliquid ultra sortem, Usurarius est censen-
dus.* R. Variæ sunt explicationes. Adr. dicit lo-
qui de periculo dubio tantùm apprehenso, sed
cùm agat de periculo navigantis vel itineraturi,
explicatio est difficilis. Aliqui cum Laym. Castrop.
Spor. t. 6. c. 4. n. 41. Ills. t. 4. d. 2. n. 433. putant
particulam, non, esse omiffam per typographum,
& debere esse, *Usurarius non est censendus*, quia sta-
tim additur, *ille quòque*, qui dat decem solidos
&c. *Usurarius non debet reputari*, debuisset autem
dici, *ille autem*, *ille è contrà* &c., sed cùm omnes
Codices habeant, uti citatum est, plerique non
acquiescunt istâ responsione: hinc Nav. & alii
cum Roder. n. 60, dicunt, cùm dicat *censendus*,
tantùm significari, quòd id præsumi debeat in
foro externo, sed non ideo pro interno, si verè
adfuit periculum. Alii cum Caj: Tol: Silv: Maj:
Conr: Az: Covarr: Less. L. 2. c. 2. n. 116. & aliis
communiter dicunt textum intelligi de eo, qui
cogit mutuatarium ad talem determinatè con-
tractum affecurationis secum in eundum, ita ut
tollatur ei libertas aliter compensandi illud pe-
riculum; quod maximè valet, si coëgerit ad

quantitatem pro suo libitu, de cætero si mutuarius sponte contrahat de justo pretio, quod respondeat periculo, juxta prudentum arbitrium nulla erit usura; hinc concludit *Covarr.* licitum esse pactum suscipiendi periculi ob justum illius pretium, quamvis ille, qui suscipit periculum, nullum alium laborem vel operam impendat pro effugiendo periculo.

854 §. 3. *Silv. Serr.* alique apud *Mend.* in stat. d. 6. à n. 58. docuerunt semper esse periculum sortis, quando datur mutuum, adeoque ratione periculi semper posse aliquid exigi; sed tenendum est oppositum, si enim mutuarius sit potius solvens, simulque homo industrius & verax, ideoque præsumatur soluturus, nullum est morale periculum, quamvis autem sit periculum commune, v. g. quia mutuarius potest depauperari, posset postea non velle solvere, tamen tale periculum non est sufficiens, uti restat *Palav. de just. n. 128.*, tale enim periculum compensatur cum periculo, cui fors subesset apud mutuantem, posset enim perdi vel eripi.

855 §. 4. Si data sint pignora vel fidejussores sufficientes, non est privatis licitum aliquid accipere ratione periculi, nam re ipsa tum sublatum est periculum, tum si autem adhuc in Montibus pietatis tum licitum sit aliquid accipere, dicitur n. 879.

856 §. 5. Quantum pro periculo accipi possit, determinandum est judicio prudentum, periculum enim potest esse, vel ratione sortis, quæ cum periculo mutuantis aliò est deportanda, vel ratione mutuarii, qui non est satis notus, vel est decoctor, vel non bonæ fidei, vel prævidetur facturum difficultatem in reddendo, uti notant *Pirh. l. 5. tit.*

19. n. 45. *Tambur.* l. 8. t. 3. c. 8. §. 4. n. 1. *Spor.*
 t. 6. c. 4. n. 52., & secundum hæc æstimanda est
 quantitas periculi; sic dicunt *Nav. Laym. & Pirh.*
 n. 49., si quis mercatori navigaturo trans mare
 mutuet 100., cum pacto, ut si navis pereat, ni-
 hil reddat, si autem redeat salva, reddat 125.,
 non fore usuram, quia hoc periculum videtur
 æquale isti pretio. Refert *Daniels* post Epistolam
 7. ad Alexandrum Natalem, quòd anno 1645.
 Missionarii è regno Chinesi miserint hunc ca-
 sum: In præfato regno stabilitum est, ut in mu-
 tuo, triginta pro centum accipiantur, absque
 respectu lucrì cessantis aut damni emergentis:
Queritur, utrum Chinesibus sit licitum....
 Causa dubitandi est, quia in recuperanda pecu-
 nia est aliquod periculum, scilicet quòd qui ac-
 cipit mutuam, fugiat, vel quòd tardet in sol-
 vendo, vel quòd necessarium sit coram Judice
 repetere, vel propter alia hujusmodi. Sacra Con-
 gregatio de propaganda fide rogata sententiam,
 & de mandato Innoc: X: convocata in consimili
 negotio sic respondit: *Censuerunt* ratione mutui
 immediate & præcisè nihil esse accipiendum ultra sor-
 tem principalem, si verò aliquid accipiant ratione pe-
 riculi probabiliter emergentis, prout in casu, non esse in-
 quietandos, dummodo habeatur ratio qualitatis peri-
 culi & probabilitatis ejusdem, ac servatâ proportione
 inter periculum, & id, quod accipitur. Universalis
 regula potest esse, ut vir prudens & probus co-
 gitet, quanti ipse redimeret tale periculum vel
 timorem, tantundem enim poterit petere, quan-
 tum bonâ fide dare vellet alicui, qui hoc pericu-
 lum pro se subiret, *Less: in auct. v. Mutuum cas.*
 3. *Steph.* t. 4. d. 9. n. 104.

857 §. 6. Si mutues, v. g. Principi, qui non potest cogi, & fortè non volet reddere, *Palav. l. n. 124.* dicit non licere ratione istius periculi percipere, 1. quia aliàs talis Princeps necessitatur, vel ad dandum plus, quàm accepit, vel ad lædendam justitiam. 2. Quia finis contractus est fovere mutuam benevolentiam, ideo enim voluit Deus esse indigentiam inter homines, & necessariæ essent mutux commutationes, & foveretur amicitia, quod maximè est in contractu mutui secundùm *S. Thom. Opusc. 73. c. 1.* qui essentialiter est beneficium unius contractantis erga alterum, ergo ex vi contractus non potest quis profiteri diffidentiam de altero, nec exigere pretium pro periculo, quod ex malitia ipsius immineret, hoc enim esset ponere finem inimicitiarum: aliud tamen est, si mutuo pauperi, nam posset contingere, ut pauper proximè ad nihil teneretur, nempe in casu impotentia, cujus periculum est. Quidquid sit de illa sententia, rationes allatæ non convincunt, nam citari potest. *Ad 1.* quòd talis Princeps per suam malitiam, quæ prudenter prævidetur futura, cogit mutuantem ad ita compensandum periculum.

• *Ad 2.* Causa illius diffidentia non est contractus mutui, sed per accidens oritur ex prudentia prævisa malitia mutuatarii.

858 Q. 139. Quid circa titulum lucri cessantis. Seqq. §. 1. Ut hic titulus sit justus, non sufficit quòd illis 100:, quos do mutuos, lucratus fuisset 10:, si illos exposuissem negotiationi, sed requiritur, ut statuerim illos negotiationi exponere, jamque occasio fuerit exponendi, & alia pecunia mihi defuerit, quam exponerem: *Præstant*

tant quidem *Rosm. & Tamb.* satis esse, quòd pecunias mutuatas destinâssem ad negotiationem, quamvis per accidens alias haberem, sed standum est in prima sententia, nam alioqui hæc mutuatio non fuisset causa illius lucri cessantis, adeoque ratione lucri cessantis non potero aliquid accipere supra sortem. Non videtur quidem omnino improbabile, quod dicunt *Lugo & Rosm.*, si pecunia alia non adfuerit, & hæc mutuata fortè destinata fuisset ad negotiationem, posse aliquid accipi propter spem incertam lucri, ita videtur posse accipi propter spem incertam destinationis futuræ, cum mutuans se privârit potestate destinandi ad lucrum fortè aliàs habendum; attamen oppositum videtur probabilius cum *S. Th. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 1.*, ubi ait: *Recompensationem damni, quod consideratur in hoc, quòd pecuniâ non lucratur, non potest in pactum deducere, quia non debet vendere id, quod nondum habet, & potest impediri multipliciter ab habendo: Nec aliud videtur velle opusc. 73. c. 7.*, ubi dicit speciem lucri non excusare, licet excuset interesse sive damni recompensatio.

§. 2. Si conditiones suprâ notatæ adsint, est 859
justus titulus exigendi aliquid, nam, uti suppono, non tenebar hîc & nunc mutuando me privare isto lucro in gratiam alterius, hoc autem est pretio æstimabile: Hinc *Cap. Precaria, 1. 10. q. 2.* dicitur, *neminem contra utilitatem cogi de proprio facere beneficium.* Deinde pecunia mea in illis circumstantiis & prout substabat illi destinationi, valebat mihi plûs, sicuti semen, quod unicum habeo ad serendum, ars quæstuosa, quam deferro, ut tibi serviam, facit semen & servitium

meum pretiosius &c. debet tamen de his mone-
neri mutuarius, uti dicitur n. 864.

860 §. 3. Non tantum debet mutuatum esse cau-
sa lucri cessantis, sed etiam hoc lucrum non de-
bet compensari per aliquid aliud, quod habeatur
occasione mutui, v. g. si Cajus, quia pecuni-
am suam mutuavit Titio, cesset quidem à mer-
catu, quâ lucratus fuisset aliquid, attamen et-
iam ideo se applicet labori, quo tantundem &
æquè facillè lucratur, non potest ratione lucri
cessantis aliquid exigere supra sortem, quia re-
vera non cessat ipsi lucrum ratione mutui: quod
si labore lucretur minus, Titius debet hoc sup-
plere; si æquè multum sed cum majore labore,
debet ipsi Titius æstimationem majoris laboris
compensare, *Pirrh. l. 5. tit. 19. n. 39.* Notandum
etiam est, lucrum, quod cessat, debere fuisse ju-
stum, alioqui non fuisset jus ad illud.

861 §. 4. Si quis aliam pecuniam, quam habet,
exponere non audeat, sed ex nimia etiam solli-
citudine reservet familiæ, poterit petere aliquod
lucrum cessans pecuniæ mutuatae, quia mutua-
tio reipsa fuit causa lucri cessantis, *Mol. Pirrh. Lu-
go d. 25. n. 90.* Si autem ideo præcisè pecuniam
aliam reservavit nolens ad negotiationem ex-
ponere, ut semper haberet ad manum pro casu,
quo quis mutuum peteret, docent *Mald. Laym.
Lugo, Tambur. Haun. Ills n. 438.* etiam posse pe-
tere lucrum cessans, quia mutuatio partim præ-
terita partim futura videtur fuisse causa, & vo-
luntas præsumpta etiam eorum, qui mutuum
sunt petaturi, movet ad non exponendum pecu-
nias negotiationi, ex quo cessat lucrum.

862 §. 5. Hoc pactum potest fieri dupliciter, vel
con-

conveniendo de certo pretio juxta æstimationem spei de lucro faciendo, vel conveniendo de pretio indeterminato, quantum deductis deducendis mutuanti decedat de suo lucro, *Mol. Less. Pirh. n. 41. Nec obstat, quòd per Bullam Pii V. non videatur licitum taxare certum pretium pro lucro incerto, nam Nav. dicit tantum intelligi de cambiis, & Bullam illam non esse receptam extra ditionem Pontificis; Valent. autem & Lugo dicunt eam fundari in præsumptione usuræ, hinc si quis certus sit de lucro alioqui futuro, etiam indeterminato, posse pro valore hujus certitudinis vel probabilitatis pacisci; debet tamen simul attendi ad periculum amittendæ fortis, si negotiationi exposuisset. Vide Roder. l. 3. q. 5. à n. 20.*

Q. 140. Quid circa titulum damni emergentis. Re. 863
 Seqq. §. 1. Titulus hic est justus, v. g. si mutuans prævideat damnum decem aureorum sibi oriturum ex mutuo, potest pro 100. mutuatis repetere 110., quia æquum non est, ut quis ex beneficio mutui damnum reportet; neque hoc est vendere usum pecuniæ, sed damnum vitare, inquit *S. Th. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 1.*

§. 2. *Quamvis Less. Lug. Pirh. n. 34. Tambur. 864*
 §. 3. n. 3. *Rosm. de usura n. 8.* dicant non esse necesse, ut mutuatarie admoneatur de hoc damno aliàs secuturo mutuanti, tamen probabilis est oppositum, nam admonitus posset alibi quærere mutuum sine hoc onere extraordinario, de quo si non resciat, non consentit liberè in illud; & idem est de circumstantiis periculi vel lucri cessantis, si mutuatarie sint incognitæ, & propter illas plus exigatur.

- 865 §. 3. Mutuatarius non tenetur de damno causato ante tempus solutioni præfixum, nisi sit deductum in pactum, imputet enim sibi mutuans, quòd de eo non caverit, *Mol.*, si tamen mutuans cogeretur ad mutuandum, posset exigere interesse damni emergentis, etiamsi in contractu mutui de eo nihil foret conventum, *Lug. Pirh.* suprà.
- 866 §. 4. Si mutuatarius, vel cum culpa vel etiam sine culpa, ubi talis est consuetudo, fuerit in mora solvendi tempore præfixo, & mutuans inde passus sit damnum, mutuatarius tenetur compensare, licèt expressè de eo conventum non sit, quod etiam aliqui tenent, licèt mutuatarius debitum non exigat, quia ipsa dies interpellat pro homine, *Less. l. 2. c. 20. n. 69. Pirh. n. 33.*: In hoc tamen ultimo contradicunt *Caj. Ang. Tambur. n. 9.*, si enim non repetat, censetur condonare damnum subsequens, neque tempus videtur interpellare pro homine, nisi præcesserit conventio.
- 867 §. 5. Si titulo periculi fortis, lucri cessantis aut damni emergentis, plus æquo petatur, non est propriè usura, cùm non petatur ratione mutui, est tamen injuria & obligatio restituendi, *Mol. Less. Pirh. n. 40.*
An ideo liceat aliquid exigere, quia certò prævidetur futura molestia & adhibendæ expensæ pro recuperando mutuo, dicitur n. 945. in simili circa emptionem, potestque videri *Castrop. d. 4. p. 17. n. 3.*
- 868 *Q. 141. An ex aliis etiam titulis licitum sit aliquid accipere vel exigere supra sortem. R. Colligetur ex seqq. §. 1. Non ideo est licitum aliquid accipere,*

pere, quòd mutuans se privet consolatione, quam habebat in possessione suæ pecuniæ, quamvis enim certum sit mundano homini esse recreationem aliquam in videndis & tractandis pecuniis, quandoque non minorem, quàm in videnda comœdia, ideoque dixerint *Caram. Th. mor. l. 2. d. 14. n. 362.* & alii apud *Less l. 2. c. 20. dub. 14.*, sicuti pretio æstimabile est videre comœdiam, ita etiam oblectare se in præsentibus pecuniis, adeoque ratione hujus molestiæ in carento, posse aliquid accipi supra sortem, tamen *Dicast. l. 2. t. 10. d. 2. dub. 11.* dicit sententiam illam esse in praxi perniciosissimam, speculative autem improbabilem, quia carentia illa pecuniæ est intrinseca mutuo, & molestia carenti debet in commercio humano censei ita levis, ut pretio æstimari non debeat. Quòd si adesset affectus inordinatus ad pecunias, hic est abominatione dignus, non pretio, ita *Tambur. l. 8. t. 3. c. 8. §. 6.*

§. 2. Nec ideo est licitum, quòd pecunia præ- 869
sens, quâ se privat mutuans, censeatur melior, quàm pecunia futura, nam *Innoc. XI. damnavit hanc 41. prop.*, *Cum numerata pecunia pretiosior sit numerandâ, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem quàm futuram, potest Creditor aliquid supra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.* Ratio autem est, quia spectato præcisè contractu mutui perinde est, si pecunia sit numerata siue numeranda, siue præsens siue futura, uti rectè demonstrat *Carden. in 1. crisi d. 63. c. 4. & in 2. crisi. d. 25. c. 2.*, quia contractus mutui præscindit à periculo, lucro, damno vel utilitate, possetque pecunia esse numerata aut præsens, & tamen non ideo esse uti-

Ll 5

lior,

lior, si nempe mansura fuisset otiosa in cista: Deinde si prius possidere esset de se æstimabilius quàm possidere postea, ergo possidere 99. uno anno antè, esset melius, quàm possidere 100. uno anno post, adeoque semper anticipando fieri posset, ut possidere nummum ante 100. annos esset censendum melius, quàm possidere 100 florenos post 1000. annos, quod patet esse falsum præscindendo à periculo, damno vel luero, uti antè dictum est, si enim numerata vel præsens pecunia plùs haberet lucri vel utilitatis, aut propter numerandam seu futuram plùs oriretur damni vel periculi, posset propter hæc aliquid plus accipi, uti in qq. præced. dictum est, tum enim non accipitur ratione contractûs mutui, sed ratione aliorum contractuum adjunctorum, per quos mutuans se obligat ad cedendum illi lucro vel utilitati, aut ad subeundum illud damnum vel periculum. Denique si præsens pecunia sit æstimabilior quàm futura, ergo qui hoc anno furatus est 100., non satisfacit anno sequente reddendo 100., licèt domino nullum damnum emerferit vel cessarit lucrum, hoc autem nemo dicet, ergo.

870 §. 3. Nec licitum est ideo, quòd mutuans se obliget ad non repetendam sortem intra certum tempus, nam *Alex. VII.* damnavit hanc 41. prop. *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus; si nempe nihil lucri amittat vel patiatur damni aut periculi, tum enim nullum subitur gravamen pretio æstimabile, uti rectè ostendunt Carden. in 1. crisi. d. 63. à c. 2. & du Bois ad hanc propositionem. Nec refert, quòd*

12. authores apud *Mendo* in stat. d. 6. n. 63. docuerint, posse aliquid ideo accipi, nam probabilitas illa, si quæ fuit, nunc est elisa; imò etiam ante hanc damnationem oppositum tenuerunt communiter Authores cum *Mol. Less. Laym. Lugo*, quorum aliqui dixerunt sententiam istam esse periculosam & expositam palliatis usuris, quia obligatio ad carendum pecuniâ est intrinseca mutuo; & quamvis fiat ad longum tempus, hoc tamen aliud non est, quam mutuum prorogatum, seu extensio beneficii gratuiti: Putat tamen *Steph. t. 4. d. 9. n. 104.*, si mutues cum pacto non repetendi, quamvis gravissimè indigeres, & prudenter dubites de eo, quòd pecuniâ illâ priùs indigebis, te posse aliquid exigere, pro quo etiam rationes multas affert *Tambur. §. 5.*, quia quamvis obligatio carendi re suâ ad tempus sit intrinseca mutuo, tamen carere cum tanto onere, ut non repetas, etiamsi gravissimè indigeas, non est mutuo intrinsecum, & est pretio æstimabile, si adsit periculum probabile, quòd interea indigebis.

Obji. Obligatio non repetendi mutuum intra certum tempus est obligatio mutuandi in futurum, nam non repetere est continuare & pergere facere mutuum, atqui licitum est aliquid accipere pro obligatione mutuandi in futurum, uti docent plurimi & gravissimi AA. n. 905. referendi, ergo etiam pro obligatione non repetendi mutuum intra certum tempus. R. AA. n. 905. citandi negant majorem, de qua ibi dicemus.

§. 4. Nec ideo est licitum, quòd mutuans pro roget terminum, qui præfixus erat pro restituendo

endo mutuo, sicuti enim nil potuit exigere ratione præcedentis temporis, ita nec sequentis, quia quod petitur ratione temporis præcisè, est usurarium, uti fusè docet *S. Th.* opusc. 73. c. 8., & tenere debent omnes, *Pirh.* l. 5. tit. 19. n. 137.

873 §. 5. Nec licitum est aliquid exigere tanquam debitum ex benevolentia vel gratitudine, nam *inn.* XI. damnavit hanc 42. prop. *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia vel gratitudine debitum, sed solum si exigitur tanquam ex justitia debitum*: Ratio dabitur n. 885., & postea n. 908. dicetur, an liceat mutuatarium excitare ad remunerandum.

874 §. 6. Nec licitum est aliquid exigere ab aliquo tertio, v. g. si Titius indigeat mutuo, & Cajus pro Titio petat à me mutuum, non est mihi licitum pro mutuacione aliquid accipere à Cajo, ita *Lugo* d. 37. n. 176. & *Moya* T. 1. t. 6. d. 6. q. ult. n. 5. contra *Arauxo*, Ratio est, quia quod solvet Cajus, censetur solutum nomine Titii & ratione mutui, neque enim alius titulus intervenit, uti suppono.

875 §. 7. *Less.* in *Auct. V. Mutuum* cas. 1. & 4. item *Tambur.* §. 3. n. 27. aliique dicunt satis esse, quamvis contrahentes nesciant determinatè de ullo justo titulo, si intendunt contrahere omni modo optimo, quo justè fieri potest, dummodo non sciant deesse omnem bonum titulum, & voluissent facere contractum justum, si hic & nunc scivissent modum faciendi, hinc docent plurimi, uti notabimus n. 924. & 1024. posse in mutuo ad annum dato sine usura exigi 4. aut 5. in 100., non considerando sed supponendo adesse aliquem justum titulum. Et quia habet praxis

com-

communis apud omnes etiam prudentes & timoratos, ut tali modo bonâ fide dent mutuum, debeat tamen adesse justus aliquis titulus, AA multum laborant in eo inveniando & explicando, hinc,

Less. de Just. l. 2. c. 25. n. 31. Spor. t. 6. c. 6. n. 876
 26. & alii docent excusari tale lucrum per contractum censûs: quod defendi potest, si hic contractus intendatur, & habere possit locum, nam si petens mutuum nec sit persona, quæ lucrari possit, nec habeat bona potentia afferre fructus, vel si hæc bona aliunde sint nimium onerata, tum non apparet, quomodo apud talem mutuatarium constitui possit census. Vide dicenda n. 1022. Aliqui per hoc excusant, quod non ineatur contractus mutui, sed fiant aut saltem sit intentio implicita hinc faciendi tres alios contractus, quorum primus est contractus societatis, in quo Titius dat pecunias, & Cajus appromittit industriam pro reportando lucro, hic autem Titius meritò ex tali contractu sperat lucrum, v. g. 12. florenorum in 100., quo supposito adjicitur secundus contractus, qui est assicuratio sortis, pro qua Titius remittit Cajo 3. ex illis 12., ut sortem suam habeat securam, & vi hujus contractus reportare possit 9. in 100.; Tertius contractus est assicuratio lucri, pro qua Titius iterum remittit 4. Cajo, ut lucrum suum habeat certum, & sic Titio restant 5. supra 100. solvendi à Cajo; imò alii dicunt posse longè plus accipi. Hunc modum assicurandi sortem & lucrum docent posse esse justum plurimi, inter quos *Ang. Gabr. Maj. Silv. Fumus, Nav. Covarr. Valent. Mol. Med. Lop. Tol. Garc.*, quos refert & sequi-

sequi-

sequitur *Less.* n. 23., item *Laym. Bonac. Dian. Ca-
ram. Busenb. Lugo* d. 30. n. 40. referens plures
alios. Rationem dant, quia L. 29. ff. *Pro socio*
dicitur, ita coiri societatem posse, ut nullam par-
tem damni alter sentiat, hoc autem non potest
fieri, nisi assicurando sortem & lucrum, ergo.
Deinde singuli illi contractus sunt de se liciti, nec
apparet, unde haberent inhonestatem, licet si-
mul fiant etiam cum eodem.

Econtra modum illum assicurandi sortem &
lucrum, injustum esse docent, *Caj. Sor. Az. Re-
bell. Fill. Steph.* n. 112. alique apud *Lug.* n. 39.
qui addunt hoc nihil aliud esse, quam subtiliter
palliare usuram, & tum saltem non valere faten-
tur *Less.* n. 31. *Lugo* n. 45. *Carden.* in 2. crisi. d. 25.
c. 7., quando pecunia datur alicui non negotia-
turo, aut si detur talis pecunia, quæ non fuisset
negotiationi exposita. Universaliter autem mo-
dum illum contrahendi rejiciunt, 1. quia *Sixtus*
V. per Bullam 45. *Detestabilis*, damnat omnes
pactiones, quibus cavetur, ut capitale salvum
maneant, siue contrahatur ad certum, siue ad in-
certum lucrum. 2. Quia si *Cajus* in omni casu de-
bet reddere pecuniam, ergo habet ut mutuum,
ex mutuo autem nihil lucri debet peti. *Nec refert*,
quod *Cajo* sit utile sic contrahere, nam hæc uti-
litas est aliquid pertinens ad *Cajum*, ex qua *Ti-
tius* injustè petit lucrum. 3. Est contra naturam
societatis, quod periculum pertineat ad unum,
si enim sit communicatio lucri & non damni, est
societas leonina, in qua unus devorat alterum,
& re ipsâ est mutuum, quocumque alio nomine
pallietur. 4. Sic nunquam comitteretur usura,
omnes enim, quantumcumque exigent, sent-
per

per facient saltem implicite istos tres contractus.

Hæ rationes non convincunt, nam *Ad 1.* dicit *Less.* n. 33. *Sixtum* tantum improbare, si ex vi ipsius contractus societatis exigatur affecuratio: *Toletus* apud *Lugo* n. 37. testatur *Sixtum* interrogatum respondisse, se tantum voluisse prohibere contractus injustos, quos Doctores classici condemnarent. Addit *Lugo* Rotam censuisse, quod prohibuerit tantum casus usurarios de jure communi, additis majoribus pœnis. *Ad 2.* Negant esse mutuum, eò quod dominium pecuniæ maneat apud Titium, & per contractum societatis concedatur Cajo solus usus. *Ad 3.* Dicunt non convenire quidem hoc contractui societatis ratione sui, attamen posse convenire per alium contractum, sic enim fit etiam in commodato, locato, deposito; nec ideo est societas leonina, si per alium contractum hoc compensetur, tantò plus lucri relinquendo illi, qui in se recipit periculum damni, uti hinc fit: & *Conf.* Nam cum tertio contrahi posset de affecuratione pecuniæ Cajo concessæ ad usum, ergo etiam cum ipso Cajo: Item si Cajo locassem domum, possem per contractum affecurationis etiam Cajo relinquere periculum domus, ergo etiam pecuniæ ei ad negotiandum concessæ: Idem est, si Nautæ tradam merces vehendas, relicto ipsi per contractum affecurationis periculo istarum mercium. *Ad 4.* Idem valet contra contractum census, per quem etiam cavetur usura: De cætero absolutè negatur ass., nam ubi non intenditur negotiatio vel census, sed petitur verum mutuum, ibi intervenire potest usura: è

contra

contrà si intendatur census, vel fiant hi tres contractus, & observetur æqualitas secundum peritorum æstimationem inter ea, quæ utrimque præstantur & commutantur, non apparet usura. Videri possunt *Less.* & *Lugo*, qui materiam illam optimè explicant.

Tannerus de Just. d. 4. q. 7. dub. 3. putat adhuc aliter justificari posse acceptionem 5. in 100., nempe per hoc, quòd talis contractus fit utilis Reipublicæ, à qua cum permittatur, censetur validari potestate domini alti, quod Resp. habet in bona subditorum, qui etiam ad hoc inviti non sunt. Favent huic explicationi *Besoldus* in confid. Polit. vitæ & mortis l. 1. c. 5. à n. 9.; & *Vindex Gobathi* ad proposit. 18. n. 25. hunc titulum absolutè defendit pro Germania: impugnat quidem illum *Wading.*, sed hujus argumenta conatur solvere *Haun.* t. 9. n. 421.

877 Q. 142. Quid circa Montes pietatis, Lombardos & Beursas sit addendum. R. Seqq. §. 1. Licitos esse Montes pietatis definit *Leo X.* in Concilio Later. c. 10. his verbis, *Sacro approbante Concilio declaramus & definimus Montes pietatis antedictos per Respublicas institutos & auctoritate Sedis Apostolicæ hæcenus approbatos & confirmatos, in quibus pro eorum indemnitate aliquid moderatum ob solas Ministrorum impensas. . . . ultra sortem absque lucro eorundem Montium recipitur, neque speciem mali præ se ferre, neque ullo pacto improbari, quinimo meritorium esse & approbari debere tale mutuum, & minime usurarium esse.* Dicit quidem *Baronius* apud *Moy.* t. 1. t. 6. d. 6. q. ult. n. 16. dubium esse, an ultimum Concilium Lateranense fuerit verè œcumenicum, sed hoc graviter censurant alii apud

apud *Moy.* n. 17. , unde standum est illâ definitione.

§. 2. In ejusmodi Montibus legitimè institutis 879
quandoque exiguntur usque ad 15. in 100.; teste
Steph. t. 4. d. 9. n. 124. , plus enim exigere licitum
est illis, quamvis illicitum sit privatis, quia illi tenentur
ad omnes casus esse parati, agunt causam omnium, subeunt onus
conservandi pignora, & hæc faciunt ex publica autoritate.

§. 3. Etiam Lombardi, id est domus, in quibus 880
deposito aliquo pignore accipi potest pecunia mutua ad certum
tempus, videntur liciti, ita *Less. Spor.* n. 40. & 104. aliique; obligatio
autem est, ut mutuarius singulis mensibus aliquid minutum
solvat, & elapso anno, si non redimat suum pignus, publicè
venditur sub hasta, & quod ex pretio illius, detractâ sorte
& mensuris detrimentis, superest, redditur domino pignoris,
aut si non compareat, applicatur pauperibus: rationes autem
justificantes sunt ferme eadem, possuntque videri apud
Steph. n. 126., qui tamen cum *Bonæsp.* non approbat hos
Lombardos, nisi à Principe vel Magistratu erigantur, quia si
lucrum omne connumeretur, accipiunt usque ad 15. in 100.,
quod videtur iniquum, nisi accedat autoritas publica, eò
quòd non ita cedant in bonum commune, uti Montes pietatis.

§. 4. Aliqui etiam excusant ab usura praxin 881
Beursæ, id est, conventionis, in qua Mercatores quotidie
congregati statuunt pro varietate circumstantiarum pretia
mutuorum, cambiorum, &c., ita ut ratione talis statuti
lucrum in 100. absque ullo alio titulo quandoque ascendat
ad 10. vel 12., sed hanc praxin plerique reprobant.

cum *Less.* l. 2. c. 20. n. 126., quia non fit auctoritate publicâ, & lucrum est ex mutuo saltem virtuali.

382 Q. 143. An liceat ab initio accipere hoc, quod postea dandum esset pro interesse, v. g. Titius mutuat 100. Cajo: *Queritur*, an Titius ab initio possit retinere 5., quos Cajo ex titulo lucri cessantis vel damni emergentis deberet dare post annum. *R.* §. 1. *Az. Rebell. Salas, Castrop.* d. 5. p. 15. n. 9. *Carden.* in 2. crisi d. 25. n. 77. rectè negant, quia sic non mutuâsses 100., sed 95., ergo injustè acciperes lucrum ex 100., putant tamen cum *Pirh. l.* tit. 19. n. 42. te posse, accipere rem infrugiferam distinctam à mutuo & valentem quinque, v. g. vinum, tum enim manet tibi integra fors mutuata, sed *Tamb. l.* 8. t. 3. c. 8. §. 3. n. 20. & *Spor. t.* 6. c. 4. n. 47. negant etiam hoc licere, quia quamvis vinum illud non sit physicè 5. imperiales, est tamen æquivalenter, ergo reipsa non mutuasti 100., ergo injustè petis interesse ex 100., maxime cum necdum tibi cessârit lucrum aut emerferit damnum, sed hoc priùs futurum fit.

383 §. 2. *Caram.* hoc excusat, si fiat per duos contractus, nempe per mutuacionem & vendicionem, nam per mutuacionem acquirit Titius spem accipiendi 5., quam spem Titius per novum contractum vendit Cajo pro 5., sicuti per legem, *Si jactum* 12. ff. *De act. empt.*, Piscator licitè vendit pisces, quos jactu retis se capturum sperat. *Less.* n. 100. excusat, si sic fiat, nempe si Titius det 95. ad interesse, & reliquos quinque mutuet sine interesse, hos quinque, inquit, poterit repetere ab initio, quia lucrum non solvitur ex summa, ob quam debetur interesse,

esse, sed ex alia, quæ nihil debet: *Si dicas*, malè solvi anticipatò, cùm nondum debeat: *Respondet*, fati esse, quòd sit debiturus postea, onus autem dandi nunc, compensari per hoc, quòd gratis sine interesse mutuentur illi quinque: *Tamb. & Spor.* hos modos referunt & non improbant, sed meritò cavendi sunt, tum quia videntur esse paliata usura, aut saltem continere mentalem, tum etiam quia spes illa *Caramuelis* deberet minoris emi, & suppositum illud *Lessii*, quòd mutuum ab initio repeti possit, est falsum, secundùm dicta n. 842. Denique quia reipsa tantùm 95. darentur mutui.

Q. 144. Quænam pacta sint usuraria, si mutuo addantur. *R.* Hanc regulam universalem dant *Gl. Bartol.* aliique communiter cum *Covarr. l. 3. Variarum. c. 2. n. 5.*, quoties debitor ratione mutui ultra sortem obligatur ad aliquid, quod agere non tenebatur, usura est; sive, quando pro mutuo, vel pro aliquo, quod mutuo est intrinsecum, exigitur per qualemcunque contractum aliquid pretio æstimabile, quod alioqui est indebitum, committitur usura. Ex hac regula sequitur committi usuram, si mutues cum his aut similibus pactis.

1. Ut plus recipias ex benevolentia vel gratitudine, uti constat ex dictis n. 873. & rationem dat *Laym. l. 3. t. 4. c. 16. n. 4.*, quia obligatio ex pacto repugnat gratuitæ remunerationi, cùm ratione pacti quis compelli possit, hinc *S. Th. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 2.* debitum ex pacto vocat debitum ex justitia: Quod confirmat *Carden. in 2. crisi d. 25. n. 51.* hoc simili, nam si Titius petat equum valentem 100. emere à viro Nobili, qui dicat,

Mm 2

Nobi-

Nobiles non sunt mercatores, dono equum, sed gratuitò redonabis mihi 100 aureos, quis dicitur fieri ex gratitudine aut non esse pretium equi?

386 2. Ut mutuarius tibi solvat aliquid tantum probabiliter debitum, v. g. Cajus possidet aliquid, ad quod tu etiam præ tendis jus probabile, si mutues ei sub pacto, ut hoc tibi extradat, et usura, quia est pactum ad aliquid indebitum, cum pro ipso sit possessio. Econtrà tamen, si pro te esset possessio, uti si certum esset te aliquid depossuisse apud Cajum, & tantum probabile esse, quòd Cajus tibi reddiderit, mutuare posses cum pacto, ut hoc tibi redderet, quia tenere potes quòd Cajus adhuc debeat tibi, & in foro externo attineretur ad reddendum, neque usura est, si pactum sit ad aliquid antecederet debitum, uti n. 894. dicitur, ita *Carden.* in 1. crisi d. 64. c. 4. Quòd si pro neutra parte esset legitima possessio, & pro utraque parte esset probabilitas juris ad rem, foret usura, si mutuares sub pacto, ut Cajus tibi jus illud suum probabile cederet, nam additur obligatio civilis pretio æstimabilis, ad quam Cajus non tenebatur, *Carden.* c. 6. dicens esse certum.

Obji. Si Cajus in 1. & 3. casu, dum reddit fortem, adjiciat illud alterum mihi probabiliter debitum, non tenebor restituere Cajo, ergo figuratur est non intervenisse usuram, quia hæc inducit obligationem restituendi. R. N. consequens, usura enim in hoc erat, quòd ratione mutui Cajo imponeres obligationem pretio æstimabilem, ad quam non tenebatur, ideoque teneberis compensare Cajo, quantum in judicio prudentum æstimabilis erat illa obligatio. Vide *Carden.*, qui addit te posse retinere reliquum tibi à Cajo concessum, cujus

cujus jam possessionem habes cum jure probabili, sed hoc videtur pendere ab eo, an usurarius acquirat dominium usuræ, de quo dicitur n. 919.

3. Ut postea vicissim mutuet, quia secundum *S. Th.* n. 905. referendum realis obligatio pecuniæ est æstimabilis. 887

4. Ut postea aliud reddat, v. g. si mutues pecunias, sub pacto, ut postea reddat vinum æquale valori pecuniæ, *Mol. Salas, Tambur. Castrop.* d. 4. p. 13. n. 8. *Spor.* t. 6. c. 4. n. 88., quia hoc onus commutandi pecuniam est novum & mutuo extrinsecum, possetque tibi esse utilius aut gratius retinere vinum, vel vendere alteri. Si tamen mutues pecuniam auream, sub pacto, ut reddat argenteam aut aliam minutam, poteris exigere communem taxam cambii realis, quod hic accedit, *Nav. Laym. Spor.* n. 42. *Pirh.* l. 5. tit. 19. n. 53.

5. Ut v. g. colat agros tuos, etiam pro justo pretio, *Covar. supra, Tambur.* §. 2. n. 12. contra *Sotum, Nav. Dicast. Caram.* apud *Spor.* n. 87., qui etiam aliis titulis excusare conatur. Ratio nostra est, quia est novum onus extrinsecum & indebitum, pretio æstimabile, cum privetur libertate aliter ponendi operas; & si talia non essent pretio æstimabilia, non deducerentur in pactum, inquit rectè *Covarr.* 889

6. Ut pro te in alio negotio fidejubeat, *Mol.* *Lugo, Pirh.* n. 30., fidejussio enim est pretio æstimabilis; uti habet communis cum *Soto*, *Mol. Med.* aliisque apud *Moy.* t. 1. t. 6. d. 4. q. 6. n. 8., quia obligare se ad solvendum est onus pretio æstimabile, non minùs, quàm se obligare ad mutuandum, quod verum esse dicunt *Mol. Tamb. Lugo* d. 25. n. 61, quamvis absit omne periculum, 890

lum, de quo dicitur n. 1106. Imò *Lugo* n. 62. & *Tambur* n. 4. putant, si Titius à te petat mutuum, & tu des mutuum Cajo, petasque ut Cajus mutuet Titio, tu autem te Cajo statuas fidejussorem pro Titio, te posse ideo aliquid accipere à Titio, quia pro illo subis onus, ad quod non tenebaris ex vi mutui Cajo dati, sed hic est saltem periculum usuræ palliatæ, uti per se patet.

891 7. Ut sortem restituat alio loco, uti docet *Th. opusc.* 73. c. 8., Putat quidem *Tambur.* l. 9. t. 1. c. 4. §. 4. n. 5., si Cajus existens Monasterii indigeat hodie frumento, tu autem etiam ibi existens habeas Coloniae frumentum, te posse illud mutuare Cajo, cum pacto, ut tibi simile restituat Hildesii, quia videtur tantumdem esse, ac si tu frumentum transportares Colonia in commodum Caji, & Cajus vicissim transportaret Hildesium in commodum tuum, ubi videtur esse æqualitas, sicuti si debeam tibi ducentos solvendos intra duos annos, & paciscar hoc anno tibi solvere 100., cum pacto, ut pro aliis 100. expectes in tertium annum, pactum est justum, quia est æqualis commutatio, sed *Spor.* à n. 90., quamvis admittat hoc ultimum cum pluribus apud *Dian.* p. 1. t. 8. Resol. 63. contra *Bonac.*, quia re ipsa utrimque est verum gravamen, quod æquale videtur, tamen merito dubitat de priori, quia tuum gravamen est imaginarium, Caji autem gravamen est verum & reale, distinctum à mutuo, ergo ad illud obligare Cajum est usura. Quòd si utrimque imponeretur verum & æquale gravamen, *Mol. Less.* alique cum *Laym.* n. 3. notant non fore usuram, v. g. obligo me ad mutuandum tibi pecunias, si te obliges ad mutuandum

dum mihi vicissim frumentum, aut etiam ad e-
mendum à me merces, hæc enim reciproca obli-
gatio non imponitur ratione mutuacionis, sed
propter obligationem mutuandi, quæ est pretio
æstimabilis, secundum dicenda n. 905.

8. Ut tibi remittat injuriam, nam remittere 892
jus, quod quis habet in alterum ob læsum injustè
jus suum, utique est onus novum, & inter homi-
nes æstimabile pretio, *Mol. Less. Lug. Pirh. n. 29.*,
Rectè tamen notat *Spor. n. 85.* te posse mutuare
sub pacto, ut remittat vindictam injustam vel o-
diũ, petis enim, quod antecederet tibi debetur.

9. Ut lauderis, commenderis vel honoreris 893
ab illo, *Spor. n. 84. Nec refert*, quòd laus, com-
mendatio & honor non videantur pretio æsti-
mabilia, nam obligatio illa præstandi est pretio
æstimabilis, ac sæpe emitur ab hominibus, hinc
quamvis *S. Th. 2. 2. q. 78. a. 2.* O dicat, pro mu-
tuo licere exigere benevolentiam, amorem &
alia ejusmodi, tamen *Valent.* cum aliis docet esse
usuram ratione mutui illa exigere tanquam de-
bita ex justitia, non enim potest vi mutui sic de-
beri amor, sed ad summum ex convenientia vel
gratitudine.

Q. 145. An sit usura, si mutuem sub pacto, ut 894
mutuatarius exequatur aliquid aliunde debitum ex ju-
stitia. R. Non esse, quia non imponitur onus in-
debitum. Si autem detur, ut exequatur aliquid
debitum ex præcepto Charitatis tantum, *Nav. &*
Salas dicunt esse usuram, quia superadditur no-
va obligatio justitiæ; *Mol. Castrop. & Spor.* negant,
quia nihil petitur indebitum, & obligatio justi-
tiæ, quæ superadditur, moraliter non æstimatur,
imò maximè cedit in utilitatē mutuatarii, quem

obligat, ut contra charitatem non peccet; & hanc utramque sententiam vocat probabilem *Tamb.* l. 8. t. 3. c. 8. §. 2. n. 9. Quòd si tantùm deberetur ex gratitudine, rectiùs dicunt *S. Th. Mol. Less. Laym.* & alii fore usuram, quia gratitudo non obligat ad aliquid determinatum, sed potest expleri variis modis, v. g. orando pro benefactore.

895 Q. 146. *An sit usura, si quis mutuet sub pacto, ut alter statim in præsenti aliquid vicissim præster.* R. Si petatur velut conditio aut motivum mutuandi, *Adrianus, Ang. Maj. Mol. Less. Laym.* l. 3. t. 4. c. 16. n. 3. *Lugo* d. 25. n. 52. *Dian.* p. 1. t. 8. R. 60. negant esse usuram, quia posset nolle; ergo justè requirit motivum volendi. Addunt melicite mutuare sub pacto, ut quamprimum non ampliùs veneris ad meum molendinum, statim reddas mutuuum, non obligando ex justitia ad accedendum meum molendinum, sed relinquendo liberum, ita tamen, ut si non accedat, non sit accepturus mutuuum, vel mutuuum sit statim repetendum, est enim liberum statuere terminum mutuo, ita *Salas, Laym. Lugo* n. 53., sed rectè monent *Mol. Spor.* n. 36. & 82. hæc cavenda esse ob manifestum periculum usuræ palliatæ vel mentalis, nam alioqui similiter possem petere, ut in præsenti mihi dares 5. veluti motivum mutuandi 100.; nihilominus ob rationem datam, putant iidem AA cum *Pirh.* l. 5. tit. 19. n. 26. non esse usuram mutuare sub pacto, ut alter vicissim aliquid aliud in præsenti mutuet, nam mutuare in præsenti non est pretio æstimabile, ergo non petitur ut pretium, sed ut mera conditio, & meritò illi negatur gratia mutui, qui in præsenti non vult dare mutuuum: hinc etiam *S. Th.* 2. 2. q. 78.

q. 78. a. 2. ad 4. ait, licet simul mutuanti unum aliquid aliud mutuuum recipere, non autem licet eum obligare ad mutuuum imposterum faciendum.

Q. 147. An sit usura, si Cajus det Titio 100: mutu- 896
tuos, cum pacto, ut si Cajus vixerit post 10: annos, Titius reddat 300:, si autem non vixerit, nihil reddat. R. Videtur affirmare S. Th. Opusc. 73. c. 6. his verbis: Si quis alicui aliquam pecuniam dederit mutuò v. g. 100: libras ad 10 annos, ita quòd si infra hoc tempus mortuus fuerit alter ipsorum, liberatus sit à debito & à mutuo, qui ipsum acceperit, si verò supervixerint ambo, dabit post 10 annos, qui mutuuum accepit, 250 libras ei, qui mutuuum dederat, non excusatur propter dubium & periculum ab usura. Econtrà Dian. cum aliis, quos citat p. 7. t. 9. R. 71. Tambur. §. 5. n. 6. Spor. t. 6. c. 4. n. 42. dicunt in eo nihil usurarium aut illicitum intervenire, eò quòd non sit contractus mutui sed ludi vel sponsionis, & licitum sit deponere parvam summam contra magnam brevi etiam perdendam aut lucrandam, quando utrimque est proportionatum periculum & conditio, uti hìc videtur esse. Similiter si Cajus accipiat à Titio 100: eo pacto, ut teneatur reddere 200:, si post duos annos redeat in patriam, alioquin ad nihil teneatur, Az. Fill. Scaccia, Dian. R. 72. dicunt hunc contractum esse licitum: Idem dicunt cum Dian. R. 73., si Titius det Cajo 100: eo pacto, ut si Titius vixerit post annum, reddat 200:, si autem sit mortuus, nihil reddat ipse aut hæredes: Item illum, ut si Titius vixerit, reddat 110:, si non vixerit, reddat hæredibus illius 85:, & in his duobus ultimis consentit Bonac. de Rest. d. 2. q. 3. p. 1. n. 18. ob eandem rationem, quòd non sit contractus mutui sed sponsionis: notant

Mm 5

tamen

tamen omnes, in primis fieri non debere ad palliandam usuram, aut ex intentione lucri ex mutuo; deinde debere fieri secundum parem vel proportionatam utrimque conditionem, nam si Titius daret 100: Cajo, eo pacto, ut post annum, si Titius vivat, Cajo restituat 110:; si verò Titius obierit, ut tunc restituat 90: hic contractus non justificatur eventu fortuito, nam dispar est conditio, quia longè probabilius est eum supervicturum. Putat tamen *Less.* in *Auct. V. Mutuum.* cas. 2. talem contractum justificari posse duobus aliis titulis, in primis si intendant tres contractus, de quibus dictum est n. 876., addito contractu sortium; deinde si intendant emere & vendere censum personalem utrimque redimibilem, & simul adjungant contractum sortium: Sed hæc omnia usuræ palliatæ vel saltem mentali valde obnoxia sunt, cum semper interveniat virtuale mutuum.

897 Q. 148. *Quomodo pœna imponi possit mutuatario.* R. Licitè fit pactum de pœna à mutuatario solvenda, si præfixo tempore non reddiderit mutuum, dummodo adsint hæc conditiones, 1. Pœna non debet apponi pro pallianda usura, nec tanquam pretium dilationis, uti dictum est n. 872., sed quia re ipsa periculum est, ne nimum differatur vel omittatur restitutio, & ut mutuataris per pœnam deterreatur à violanda fide & à dilapidanda sorte. 2. Dilatio vel omissio restitutionis debet esse mutuataris culpabilis, qualis est, si dilapidando sortem aut bona sua prævidit se non fore potentem restituere. 3. Pœna debet esse moderata & proportionata culpæ, alioquin mutuataris iniquè cogitur in eam consentire.

Quòd

Quòd si partem restituerit, pœna debet responderi soli parti non restitutæ, *Mol. d. 317. n. 9. & alii. 4.* Mora debet esse notabilis, secundùm qualitatem negotii vel morem Patriæ: Debet autem solvi ante sententiam Judicis, uti tenent multi contra *Tambur. §. 3. n. 10. & alios multos, quos c. 7. §. 7. n. 28. citat.* Ratio est, quia debetur ex vi pacti inter partes initi; non est tamen opus solvere ante expressam vel tacitam petitionem mutantis, nisi esset imposita ratione lucri cessantis vel damni emergentis; & possumus hìc loqui eo modo, quo n. 606. locuti sumus de pœna conventionali, quæ contractibus apponitur: ita quoad omnia *Pirh. n. 52. Spor. n. 57.* aliique communiter. Vide *Gasp. Roder. de ann. redit. l. 3. q. 5. à n. 1.*, nam multi dicunt pœnam exigì non posse, nisi quatenus interest. Vide etiam, quæ postea habet q. 8.

Q. 149. Quando nam committatur usura circa varios contractus. R. Colligetur ex seqq.

§. 1. Si Cajus deponat pecuniam apud Titium, datâ ei facultate utendi & de ea ad libitum disponendi, cum pacto, ut Titius pro usu de 100: solvat annuè 10:, est usura palliata, videtur enim reipsa esse mutuum, uti habetur *L. Certi §. ult. & LL. seqq. ff. De rebus creditis*, quia cùm detur jus de ea disponendi, reipsa transfertur dominium, *Laym. n. 5. Spor. n. 96.* aliique: hinc *Nav.* apud *Laym.* ait, omnis depositio rei consistentis in numero, pondere vel mensura, concessâ facultate utendi, & adjecto pacto aliquid propterea solvendi deponenti, injusta est. Idem est, si constitutam te procuratorum meorum reddituum, datâ facultate utendi meis pecuniis, sed cum pacto, ut ideo mihi aliquid solvas.

§. 2.

- 899 §. 2. Si Cajus Titio petenti 100: mutuos dicat, non mutuo tibi, sed à te emo tuas sex vaccas pro 100:, quos trado, easque vaccas tibi iterum eloco pro annua pensione 12: florenorum, excusatur communiter ab usura, si id sincerè fiat, & serventur reliquæ conditiones locationis, inter quas erit, ut periculum vaccarum spectet ad Cajum tanquam emptorem & dominum eas elocantem; est tamen hic periculum usuræ, saltem mentalis, *Spor. n. 99.*
- 900 §. 3. Si Cajus Titio petenti mutuum dicat, non mutuo, sed hac pecuniâ conduco operas tuas ad futuram messem, & anticipato solvo tibi hanc mercedem, excusant *Mol. Laym. Spor. supra & alii.*
- 901 §. 4. Contractus antichrifeos, vulgò, *Einpfindtschafft*, est contractus pignoris vel hypothecæ adjectus mutuo, quo convenitur, ut mutuans tamdiu percipiat fructus rei oppignoratæ vel hypothecatæ, donec fors refundatur: an autem id licitè fiat dicemus n. 1115. potestque videri *Pirh. à n. 85.*, Quando nam autem interveniat usura circa emptiones, venditiones, census, cambia, dicetur, quando de illis contractibus.
- 902 Q. 150. *An contractus Mohatra sit usurarius* R. §. 1.
Contractus *Mohatra* tum est, quando quis vendit rem magno pretio, cum pacto, ut emens ipsi statim revendat pretio minore, v.g. pretium pallii intra justitiæ fines potest esse summum, infimum, medium, nempe 22: daleri ad summum, ad minimum 20:, & consequenter etiam 21., Itaque si Cajus vendat Titio pallium pro 22:, cum pacto, ut Titius statim revendat Cajo pro 20: vel 21., hic contractus Hispanicè dicitur *Mohatra*; Italicè, *Stocco.* §. 2.

§. 2. Innoc. XI. damnavit hanc 40: prop., 903
Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, cum contractu revenditionis præviè inito cum intentione lucri. Ex hac damnatione certum est contractum illum esse illicitum: Est autem etiam sæpe usurarius, v. g. Cajus non vult gratis dare hoc mutuum, & tamen etiam videri non vult usurarius, hinc dicit Titio, dabo tibi 20: Imperialibus, si pallium istud à me emeris pro 22: Imperialibus, quod non est injustum pretium, neque illos petam statim solvi, sed ad integrum annum tibi credam, dummodo mihi statim revendideris illud pallium pro 20: Imperialibus, quos tibi statim numerabo; hæc est palliata usura, nam Cajus mutuans, ex 20: Imperialibus jam datis, intra annum lucrabitur duos, quia Titius tenebitur post annum solvere Cajo 22. ob pallium primo contractu tanti emptum ad creditum, quæ venditio ad creditum erat hinc virtuale mutuum.

§. 3. Si Cajus non vellet mutuare Titio, sed 904
 illi bonâ fide ad creditum offerret pallium illud 22: Imperialibus, ut illud revenderet, cui placeret, pro numerata pecunia, si tum Titius revenderet Cajo minore pretio, non esset usura, si Cajus sic redimeret, quia nihil exigeretur vi primæ venditionis, sed Titius liberè & sine pacto antecedente illud revenderet Cajo, qui habet jus emendi, non aliter atque alii, ita *Nav. Az. Mol. Less. Bonac. Moy: t. 1. t. 6. d. 4. q. 6. n. 26. Carden. in 2. crisi d. 24. Spor. t. 6. c. 4. n. 100. aliique gravissimi AA. apud Mendo in stat. d. 6. n. 36. Addunt aliqui apud Mend. n. 37. posse easdem res emi pretio, quo emerentur ultro oblatæ & pro*
 tertia

tertia parte vilescents, imò etiam pretio, quo emerentur sub hasta seu auctione, ubi etiam ad dimidium possunt vilescere, sed debet abesse omne pactum etiam implicitum, uti rectè *Mend.* n. 41.; & bene moxent *Bonæsp.* & *St. ph.* t. 4. d. 8. n. 109. cavendum esse à scandalo & usura saltem mentali. Quomodo autem aliquando uni contractui adjici possit pactum retrovendendi, dicitur n. 992.

905 Q. 151. *An sit licitum aliquid accipere pro obligatione mutuandi in futurum, quodcumque aliter exiget mutuum.* R. Negat *Moya* supra §. 2. 1. quia mutuare statim non est secundum se pretio æstimabile, uti certum est, ergo nec se obligare ad postea mutuandum, nam plus est statim mutuare, quàm se obligare ad mutuandum postea, cum mutuare det jus in re, obligatio autem mutuandi det tantum jus ad rem. 2. Dato, quòd talis obligatio esset pretio æstimabilis, adhuc non est licitum pro ea aliquid accipere, quia ex parte mutuantis & mutuarii onera sunt paria, nam fors respondet sorti, obligatio autem mutuantis, ut det sortè, obligationi mutuarii, ut eam reddat, etiam si casu pereat, ergo si mutuans plus petat, est inæqualitas. Econtrà licitum esse affirmant *Caj. Bann. Covarr. Mol. Laym.* l. 3. t. 4. c. 16. n. 3. aliique plurimi, & ferè omnes fatente *Moyà* n. 1.; eandem sententiam tenent *Less. Pirrh.* n. 25 & 26., item *Tambur.* c. 8. §. 5. n. 3. dicens esse omnium. Rationem dant, quia obligatio dandi mutuum non est ipsa actio aut continuatio mutui, sed alia antecedens valde onerosa, & talis obligatio pecunià æstimari posset, inquit *S. Th.* 2. 2. q. 78. a. 2. ad 4.; rectè tamen notat *Spor.* n. 39., si fieret

fieret statim ante contractum mutui, talem contractum fore parum æstimabilem, & præsumi factum ad palliandam usuram.

Q. 152. *An sit usura, si mutuem Cajo debitum, quod ipsi erit facilis solutionis, mihi autem esset difficilis, v. g. Rex debet mihi 1000: , quos difficulter recipiam, Cajo autem habet facilem modum accipiendi à Rege, an possim Cajo mutuare illos 1000: , cum pacto, ut postea etiam 1000: mihi restituat.* R. Possè dicunt *Mol. t. 2. d. 361. n. 10. Less. l. 2. c. 21. n. 76. Lugo in resp. mor. l. 6. d. 8.*, quia tanti valoris in se erat illud debitum. *Nec obstat, quòd tale debitum acerbum, id est, difficile minoris æstimetur, etiam sæpe infra dimidium, ideoq; tu licitè potueris à me emere minori pretio, uti fatentur omnes cum Less. n. 74. nam non ideo tenebar ego minoris vendere, & poteram similiter ego pro eo acceptare æquale pretium, uti etiam fatentur communiter AA: cum Lugo & Less. n. 77.*

Q. 153. *Si nullus adsit titulus aliquid accipiendi supra sortem, an sit usura mutuare cum spe aliquid accipiendi.* R. *Affirmant Gabr. Silv. Med. Adr. Covarr.*, quia *Luc. 6. dicitur, date mutuum nihil inde sperantes, quod non est puri consilii, secundum dicta n. 849.*, Deinde *cap. Consuluit, de usuris additur, licet omni conventionione cessante hujusmodi homines pro intentione lucri, quam habent, judicandos esse malè agere, & cogendos, ut restituant, sed probabilius negant S. Th. P. Nav. Sot. Mol. Less. Laym. supra n. 4.*, est enim licitum ante mutuum accipere aliquid gratis donatum, ergo etiam post mutuum, uti rectè argumentatur *S. Th. 2. 2. q. 78. a. 2. in O.*, id autem licitè spero, quod
licitè

licite possum acceptare, ergo. Scriptura & cit. cap. tantum damnant intentionem accipiendi aliquid supra sortem, tanquam ex justitia debitum ratione mutui, sic enim esset usura mentalis, foretque etiam obligatio restituendi, (nisi consideratis circumstantiis praesumi posset mutuatarium gratis dedisse, & non tanquam ex justitia debitum:), tum enim non voluisset dare liberaliter, & volens dare tanquam ex justitia debitum errasset in motivo ac substantia, consequenter donatio esset nulla.

908 Q. 154. An sit usura, si mutuans moneat mutuatarium de gratuita remuneratione. R. Affirmant Ric. Sot. Angles & alii, quia cum rubore necessitet ad remunerandum, est tantumdem ac coactio ad pactum implicitum. Contradicunt Caj. Mol. Bonac. Salon. & alii cum Dian. p. 1. t. 8. R. 62. Log. d. 25. n. 30. Sporer n. 33., quia re ipsa non intercedit verum pactum, nec coactio, sed tantum petitur compensatio antidotalis, ad quam quis beneficium accipiens ex jure naturae tenetur, videtur enim equum & justum, inquit S. Th. Opus. 73. de usuris. c. 4. ut beneficio exhibito reddatur ali- quod emolumentum, quamvis secundum rei veritatem non debeat talis beneficio aliquid ex justitia, nisi tantum ex gratia, quod est benevolentia & gratiarum actio. Dicit quidem Tambur. §. 2. n. 7., si sit nimis importunus in admonendo, esse usuram, quia mutuatarius cogitur dare, ut redimat vexam, Steph. autem t. 4. d. 9. n. 99. dicit spectandam esse mentem mutuantis, nam si intenderit non aliter mutuare, videtur intendisse causare obligationem in mutuatario, quam postea urget, ergo erit usura saltem mentalis; quod magis tenet, si ali- quid

quid determinatum exigat, v. g. pecuniam, nam obligationi antidotali satisfieri potest per quidvis. Quòd si antequam det mutuum, sic excitet mutuatarium ad gratitudinem, rectè notat *Pollenter* super prop: ab *Innoc. XI* damnatas n. 1269. frequenter fore pactum tacitum, nam mutuatarius intelliget se postea obligandum, non ex mera liberali gratitudine, sed tacita quadam conventionione.

Q. 155. An sit usura, si per legatum sint tibi relictæ 909
1000: daleri, & interim dum non solvuntur, accipias aliquid pro interesse, postea autem totam summam. R. Putant aliqui esse usuram, alii negant cum *Castrop.* d. 6. p. 2., sed respiciendum est ad præsumptam saltem voluntatem testatoris, ab ea enim pendet, ut dicatur, an habeas vel non habeas jus ad tale interesse, si enim voluit, ut statim fruereris, habes jus; si autem voluit solvi pro commoditate hæredis, non habes jus. Quid autem dicendum sit circa dotem uxori promissam sed non solutam, dicitur n. 1115.

Q. 156. Quid dicendum sit, quando valor rei mutuatae postea crescit vel decrescit. R. Seqq: §. 1. Quando pecunia mutuata fuerat, v. g. 100: ducati in auro, & postea valor auri crescit, si mutuata fuit in ratione monetæ, id est, secundum valorem extrinsecum, prout ducatus in commercio humano valet, nunc v. g. duos & medium imperialem, satis est reddere in alia specie, quantum aurum tum valebat, quia per accidens se habebat species auri, sed mutuabatur tam multum monetæ: si verò mutuata fuit in ratione mercis, id est, secundum valorem intrinsecum, quia aurum illud erat tantæ perfectionis & ponderis,
Tom. III. Na debe-

deberet mutuarius reddere tantundem mer-
 cis, atque adeò secundùm valorem nunc intrin-
 secum auri. In dubio autem standum est pro mu-
 tuatario, quòd nempe datum fit in ratione mo-
 netæ, quia cùm mutuum essentialiter fit benefi-
 cium mutuantis erga mutuatarium, explicandum
 est in favorem mutuatarii, ita *Palav. l. 4. n. 65.*

911 §. 2. Licitum est dare mutuum, v. g. in trienti-
 bus, quos mutuans prævidet deponendos,
 quamvis mutuarius postea debeat reddere in
 alia moneta ejusdem valoris, quem habent tri-
 entes tempore mutuacionis, uti probat *S. Th. o-
 pusc. 73. c. 14.*, quia mutuans dedit pro usu eo
 tempore, quo ita valebant trientes, & sic exponi
 poterant à mutuatario.

912 §. 3. Si in contractu nullum statuatur tempus,
 quo res reddatur, mutuans non est injustus, si
 non repetat, nisi quando res pluris venditur, quia
 sibi imputare debet mutuarius, quòd non red-
 dat tempore commodiore, *Tambur. l. 8. t. 3. c. 8.*
 §. 1. n. 5. *Spor. t. 6. c. 4. n. 15.* Hinc docet etiam
S. Th. supra, si dem hodie mutuo mensuram o-
 lei, recipiendam, quando pluris valebit, si para-
 tus sim recipere omni tempore, aut si illo alio
 tempore deberem mihi emere tali cariiori præ-
 tio, nullum esse vitium, quia non peto nisi æqua-
 le, aut tantùm me servo indemnem; si tamen
 nollem recipere tempore vilioris pretii, essem
 injustus, quia mutuarius potest reddere, quan-
 do vult.

913 §. 4. Si fuerit pactum de tempore reddendi, &
 initio æqualiter incertum fuerit, an tempore illo
 valor esset futurus major vel minor, non est usu-
 ra pacisci, ut eadem res reddatur, v. g. eadem
 quan-

quantitas mercium, idem numerus pecuniæ, item ut novum vinum reddatur pro antiquo. cuius nescitur pretium nunc esse minus, quam futurum sit postea, quamvis hoc sit futurum mutuanti utilius, quia poterit v. g. melius conservare novum, ita *Nav. Mol. Rebell. Less.* & alii cum *Castrop. p. 13. Pirh. l. 5. tit. 19. n. 54. & 56. Spor. n. 18. & 22.* Ratio est, quia non repetis nisi sortem, & licitum est tibi ex mutuo commodum quærere, quantum absque injuria mutuatarii comparare potes.

§. 5. Si sit probabilius vel ferè certum, quòd ⁹¹⁴ postea res pluris sit valitura, adhuc non est usura, si mutuans erat rem suam servaturus usque ad illud tempus, subtrahi tamen debet æstimatio laboris, periculi & sumptuum in re usque ad illud tempus conservanda, uti iidem docent, & ratio est, quia mutuans non tenetur ratione mutuatarii pati istud damnum: consequenter docet *Less. l. 2. c. 22. n. 49.*, si pecunias alioquin afferendas des ad censum redimibilem, addi posse pactum, ut redemptio fiat in eadem specie, etiamsi certum esset valorem esse augendum; contradicunt tamen *Laym: l. 3. t. 4. c. 16. n. 15. Spor. n. 20.*, quia hoc est onus novum, nec excusat ratio lucri cessantis, nam nihilominus lucraris 5: in 100.; itaque vel hos vel illud lucrum remitte.

§. 6. Si mutuans contrahat, ut mutuatarius ⁹¹⁵ non reddat mutuum ante tempus, quo probabiliter pluris valebit, est usura, uti cum communè *Lugo in resp. mor. l. 6. d. 23. n. 1. & de Just. d. 25. n. 118. & 125.*, Ratio est, quia non posse se, nisi tum, liberare à debito, est novum & grave onus mutuo extrinsecum.

916 §. 7. *Salas, Castrop.* suprà aliique apud *Steph. n. 116.* rectè dicunt probabile esse, quòd mutuans, si præscivit valorem etiam mercium esse minuendum, possit pacisci, ut ea quantitas mercium reddatur, quæ valore par sit mercibus mutuatis, quia nil petit supra sortem, hinc potest pacisci, ut reddantur plures mensuræ tritici postea minus valituri, sicuti enim posset vendere pretio nunc currente, sic potest mutuare secundùm valorem nunc præsentem, ita *Less. Lug. Pirh. n. 55.* In eo tamen casu, si valor cresceret, deberet consequenter pauciores mensuras recipere.

917 §. 8. Si nihil sit conventum, an reddenda sit eadem mensura vel valor attendendus, neque initio prævidebatur mutatio valoris, præsumitur fuisse mens contrahentium, ut reddatur juxta eandem mensuram rei secundùm eandem speciem, unde si non reddatur tempore debito, æstimari debet ejus valor, non secundùm tempus, quo datum est, sed quo reddi debuit mutuum, ita *Lugo, Pirh. n. 58.*; si autem initio prævidebatur mutatio valoris, præsumi debet voluisse eos, ut redderetur secundùm valorem & non mensuram. Excipe, nisi prævidebatur imminutio valoris, tum enim mutuans hoc ipso, quòd non moneret, censeretur remisisse & voluisse facere beneficium, ac mutuare secundùm naturam puri mutui juxta eandem mensuram, uti tenentur eadem AA., quod non tenet, si prævidebatur augmentum valoris, nam non debet præsumi delictum, quo mutuans de hoc non contrahens voluisset injustè obligare ad illum excessum.

918 Q. 157. An sit usura cedere alteri contractum usurarium. *Less. in auct. V. Societas officiorum.* sic habet:

bet: Qui acceptâ pecuniâ ab usurario gravatur usurâ, potest statim cedere contractu in alium id petentem, numeratâ illi sorte acceptâ & translato in illum onere solvendi usuram. Econtra alii communiter sic limitant, ut tum tantum licitum sit rem sub usuris acceptam cedere alteri sub onere eodem usurarum, quando hoc secundum mutuum verè esset causa damni emergentis vel lucri cessantis mutuuario, si autem non sit causa, non poteris contractum illum transferre in alterum, ideo præcisè, ut te reddas indemnem, alioquin si emisses aliquid supra justum pretium, etiam posses illud eodem pretio revendere alteri, ut te redderes indemnem, ita *Castrop. d. 4. p. 12. n. 2. Tambur. §. 3. n. 6. Pirh. n. 35. Spor. n. 51. Si dicas cum Ang. Sa, Mol. Less. l. 2. de Just. c. 20. n. 78.* te non mutuare sub usuris, sed tantum in alterum consentientem transferre obligationem, quam habes, reddendi mutuum sub usuris, *Contra est*, nam revera tu mutuas, accepisti enim pecuniam, uti suppono, & tu es illius dominus per contractum mutui antecedenter re completum, ergo transferens in alterum re ipsa mutuas.

Q. 158. An usurarius acquirat dominium usuræ. 919
 R. Si mutuarius non habeat voluntatem transferendi dominium, quia scit se non obligari, non acquirit. Si autem voluntatem habeat, *Az. Mol. Covarr. Silv. Less. Zoës. Tambur. Spor. t. 6. c. 4. n. 117.* Aliique plurimi cum *Laym. l. 3. t. 4. c. 16. n. 7.* adhuc dicunt non acquirere, 1. quia non adest ullus justus titulus transferendi, imò cum talis contractus sit metu gravi & injusto extortus, videtur etiam jure naturæ esse irritus, cum justitia non possit nasci ex injuria; & huc facit,

Nn 3

quod

quod dicit *S. Th.* opusc. 73. c. 4., quidquid transfertur ab uno in alium per violentiam, non datur sed aufertur. 2. Quia mutuatarius non aliter voluit transferre, quàm teneretur, sed reipsa non tenebatur, ergo nec transtulit. 3. Si transtulisset dominium, mutuans non teneretur restituere fructus rei frugiferæ sibi pro usura traditæ, ad quod tamen tenetur. Econtrà *Nav.* & alii cum *Lugo d.* 25. n. 206. dicunt acquirere dominium, quia mutuatarius habet absolutam & efficacem voluntatem illud transferendi, quæ licet sit secundum quid involuntaria, est tamen simpliciter voluntaria. uti si quis donet ex metu, qui secundum dicta n. 636. & 638. non irritat contractum. Dominium tamen illud est revocabile & inefficax, quia ob injuriam illatam tenetur restituere; & ita etiam sentiunt *Spor.* & *Pirh.* n. 20. Denique *S. Th.* c. 5. videtur distinguere, nam docet dominium usuræ transferri, quantum est ex vilegis humanæ permittentis usuras, attamen ex vilegis divinæ dicit non transferri, sed debere mutuatario restitui rem, & quidem eandem, quam supra sortem dedit, & hoc est quod prima sententia vult; secunda tamen sententia videtur probabilior, quam etiam videtur admittere *S. Th.* c. 19. dicens, aliter judicandum est de furto & rapina, & aliter de usura, quia in usura aliquantulum transfertur dominium jure fori, licet non jure poli, sed nullo modo in aliis, unde equus furto ablati, in cuiuscunque manum transierit, semper est restituendus, etiam in jure vero, secundum verò non sic, si est equus per usuram acceptus, quare aliter judicandum est in usura, & dicendum, quòd sufficit, si fiat restitutio pretii.

920 Q. 159. An usurarius acquirat dominium eorum, que

quæ ex re per usuram accepta postea lucratur. *R.* Si res usuraria sit ex natura sua sterilis, uti pecunia, instrumenta artis &c., acquirit dominium rerum, quas re tali lucratur, sunt enim fructus industriæ, uti communiter omnes cum *S. Th. Silv. Covarr. Az. Mol. Less. Pirh. l. 5. tit. 19. n. 21. Necrefert*, quòd emptor accipiens pecuniam usurariam videatur esse involuntarius & deceptus, eò quòd tenebitur mutuatario rem illam restituere, nam si usurarius acquisivit dominium, uti probabilius fit, satis erit ab usurario restitui æquivalens: deinde hic error non est circa substantiam rei, sed ad summum dabit jus rescindendi, uti rectè *Less. l. 2. c. 20. n. 163.* Si autem res per usuram accepta sit fructifera, fructificat domino suo, ergo cum dixerimus tanquam probabilius usurarium fieri dominum usuræ, etiam fiet dominus fructuum; semper tamen cum obligatione compensandi damna: Denique sive usurarius fiat dominus usuræ sive non, tamen fit dominus pretii pro re usuraria bonâ fide empti dati, quamvis enim res sit usuraria, non tamen pretium, ita *Less. n. 162. Pirh. n. 23.*

Q. 160. Quando nam restitui debeat, quod acceptum est vi mutui. R. §. 1. Quamvis abfuerit omne pactum externum, tamen si mutuatarius dederit ob vim mutui, involuntariè dedit, adeoque mutuans tenetur restituere, sive bonâ sive malâ fide acceperit, *Lugo d. 25. n. 32. Spor. t. 6. c. 4. n. 79.* Si tamen mutuatarius dederit ex gratitudine vel amicitia, & mutuans hoc sciat, potest retinere, quamvis acceperit animo usurario, quia per donationem acquisivit dominium, licet enim peteret ut debitum, tamen voluit acquirere

Nn 4.

omni

omni meliori modo, & saltem postea potest acceptare, quando rescit mutuatarium voluisse dare: si tamen id nesciret, teneretur ratione conscientiae erroneae sive ignorantis restituere, *Spor.* & *Tambur.* l. 8. t. 3. c. 8. §. 2. n. 14.

922 §. 2. Si dubium sit, an mutuatarium dederit ex vi mutui, an ex liberalitate, mutuans, si possit, tenetur interrogare; si non possit rescire, & persistat dubium, si hoc dubium sit utrimque positivum, potest sibi ob probabilem rationem formare conscientiam & retinere; si est negativum, *Caj. Ang. Pirh.* l. 5. tit. 19. n. 138. alique apud *Lugo* supra dicunt praesumi posse esse donatum; signa autem multa talis praesumptionis afferunt *Tambur.* n. 16. Econtrà *Mol. Tambur. Spor.* & alii probabilius dicunt esse restituendum, quia mutuans tantum incipit possessionem naturalem, qualem etiam habet praedo, mutuatarium autem in tali dubio remanet in possessione civili rei, donec constet de vero titulo translationis domini, ergo melior est conditio mutuatarium, utpotè veri possidentis.

923 §. 3. Si mutuatarium dederit usuram ex timore orto ab intrinseco, v. g. ne diceretur ingratus, ne capitale citò repeteretur, ne mutuans alio tempore negaret mutuum, multi dicunt debere restitui, sed multi aequè probabiliter negant cum *Lugo* n. 35. & *Spor.* n. 81., quia cum dederit ex tali timore, non dedit ut pretium mutui, sed ut motivum habendi benevolentiam mutuantis: si tamen mutuans illum timorem incussisset, teneretur restituere, quia mutuatarium involuntarie dedisset ex metu injustè incusso.

924 §. 4. Si datum est & acceptum ob vim mutui
&

& malâ fidē, potuisset tamen dari & accipi ex alio justo contractu, quem celebrâssent, si scivissent, putat *Verricelli* posse retineri, sed meritò negant *Tambur.* §. 3. n. 23. & *Spor.* n. 106. ; Admittunt tamen cum *Sa, Tann. Dian.* p. 1. t. 8. R. 47. *Pirh.* à n. 135. *Steph.* n. 113. & 117. posse retineri, si processerint bonâ fide; maximè si mutuans intenderit & expresserit se velle contrahere omni meliore modo, uti cum multis aliis dicit *Less.* l. 2. c. 20. dub. 12., aut saltem si mutuans sciverit illum alium modum justè contrahendi, inquit *Lugo* s. 9. & mutuatarius etiam censeatur consensisse, Ratio est, quia contrahentes bonâ fide sic sunt dispositi, ut velint contrahere omni meliori modo, ergo habent implicitam voluntatem celebrandi contractum, qui licitè fieri poterat, ergo virtualiter posuerunt illum contractum, perinde enim est, siue titulus sit in specie cognitus & volitus siue in genere, dummodo saltem virtualiter aut implicite intendatur, & re ipsa existat: aliud est, si mutuatarius censeari non posset consensisse in istum alterum contractum, uti dictum n. 144.

Q. 161. An usura licitè permittantur vel juven- 925
tur. R. §. 1. Peccant Principes, qui Judæis aut aliis usurariis cooperantur, absque alia justa causa dando licentiam, ut usuras exercent, sub pacto, ut aliquid solvant per modum tributi, nam ut hoc solvere possint, magis exsugunt pauperes, cujus causa sunt, qui sic permittunt usuras. Etiam ipso facto excommunicantur Judices in *Clementina, De usuris*, qui compellunt ad solutionem usurarum, aut impediunt restitutionem solutarum, tenenturque ipsi ad restitutionem de-

ficiente usurario, ita cum communi *Pirh. supra* n. 115. *Spor. n. 127.* Permitti tamen possunt ob justas causas usuræ, nam usuras lex humana concessit, non quasi æstimans eas esse secundum justitiam, sed ne impedirentur utilitates multorum, inquit *S. Th. 2. 2. q. 78. a. 1. ad 3.* In casu autem, quo ita permittuntur, non possunt pœnæ imponi usurariis, potest tamen exigi aliquid pro utilitate cõmuni, quod non facilè quis dixerit esse iniquum, inquit *Less. in Auct. V Usura, cas. 6.*, cùm Principes fere ubique illud usucapione præscripserint: videndum tamen, ne per hoc usurarius fiat impotens ad solvendum Creditoribus, quibus magis & prius obligatur.

926 §. 2. Circa cooperationem ad usuram datur sequentem regulam *Mol. Az. Less. Pirh. n. 114.* omnes eos, qui se tenent ex parte usurarii, & sunt causa efficax, cur usuræ exigantur vel solvantur, peccare, & obligari ad restitutionem, saltem secundo loco, si usurarius non possit aut non velit; illos verò, qui se tenent ex parte mutuatarii, non peccare nec teneri restituere, nisi eo casu & modo, quo ipse mutuatarius aliquando peccat ratione scandali. *Lugo d. 25. n. 214.* videtur melius loqui, & dicit, omnes eos, si se teneant ex parte mutuantis siue mutuatarii, peccare contra justitiam & teneri ad restitutionem, qui ita cooperantur, ut circa talem cooperationem mutuatarius sit invitus, hi enim inferunt injuriam damnosam: è contra illos non peccare contra justitiam nec obligari ad restitutionem, circa quorum cooperationem mutuatarius non est invitus, nam non omnium cooperantium actiones semper displicent mutuatario,

rio, qui potius optat aliquando poni, ut sic obtineat mutuum, attamen semper invitus est in hoc, quod mutuans sine titulo petat aliquid supra sortem. Ex data regula multa infert *Lugo*, & etiam videri possunt dicta l. 2. à n. 267. An autem licitum sit locare domum suam usurario, dicitur hic n. 1042.

DUBIUM VIII.

De Emptione & Venditione.

ARTICULUS I.

Quid sit Emptio & Venditio.

Resp. Est contractus, quo pretium pro merce^o solvitur; completurque mercis traditione: Ven^o 927
ditio contrà. Justitia ejus in hoc consistit, ut^o
pretium sit justum, sive exæquet valorem rei, &^o
contrà: Aliàs si absque legitimo titulo secus fiat,^o
committetur injustitia gravis, vel levis, pro^o
gravitate excessûs; qui proinde ad restitutio-^o
nem in conscientia obligabit: etsi in fore exter-^o
no ad restitutionem ferè non cogatur, nisi ul-^o
tra dimidium defraudaverit. v. *Lay. l. 3. t. 4. c. 17. Bon. d. 3. q. 2. p. 1. & 4. Unde resolves.*

I. Quod spectat ad emptorem, is potest e-^o
mere viliùs, quàm res valeat, si ei non sit com-^o
da, vel emat in gratiam venditoris, ac similes^o
sint circumstantiæ, quæ rem faciant viliorem.^o
Nec obstat, quòd venditor necessitate ductus^o
vendat viliùs: quia venditio manet voluntaria,^o
inquit *Caj. V. Bon. n. 21. & 23. Potest nihilomi-*

nus

»nus graviter peccari contra charitatem, si quan-
 »do pauperuli extremâ inopiâ res suas vendere
 »coguntur, nimis viliter ab eis emas. *Lay. n. 10.*

» II. Emptor potest emere minoris, ex eo quod
 »multa simul emat, quia tunc venditorem libe-
 »rat multis curis, & expeditum facit ad alia no-
 »va comparanda, unde meritò pretium decre-
 »cit. *Bon. p. 4. n. 13. ex Less. l. 2. c. 21. d. 4. n. 32. & c.*

» III. Quoad venditorem is communiter de-
 »bet vendere secundum pretium taxatum à legē,
 »vel magistratu: quod si nullum est, id censetur
 »justum, quod morali hominum æstimatione
 »imponitur: Quod non consistit in indivisibili,
 »ut anxie scrupulari oporteat, sed dividitur in
 »infimum, medium, & summum, sive, ut alii vo-
 »cant, piura, moderatum, & rigorosum; ita ut in-
 »tra latitudinem hujus pretii vendere & emere
 »liceat, nunc summo, nunc infimo.

» IV. Si quid emptori valdè utile sit, non licet
 »hoc solo nomine rem vendere ultra pretium
 »justum; quia utilitas emptoris tota est ipsius,
 »non venditoris, *Bon. n. 27. ex Less. n. 31. Fill. n.*
 »35. n. 77.

» V. Licet autem vendere cariùs, quàm valet,
 »pretio currente, si alii boni tituli ad sint, & simul
 »de hoc emptorem moneas, quia tunc illi non fit
 »injuria. Tales autem sunt, v. g. lucrum cessans,
 »aut damnum emergens aut incommodum, vel
 »molestia tibi obventura ex rei venditione, aut
 »affectus in eam singularis, ut si acceperis à Ma-
 »joribus, Principe. Item si res sint novæ, raræ, &
 »singulares; ut v. g. peregrini flores, aves, feræ,
 »monumenta antiqua, picturæ, numismata. *Lay.*
 »§. 1. n. 10. *Less. n. 24. Bon.*

VI. Qui res minutim, & in parva quantitate³³ vendunt, possunt aliquanto carius vendere,³³ quàm qui in magna quantitate, quia debent majores labores, expensas, &c. impendere ad ea³³ conservanda: & sic quidam excusant caupones³³ & stabularios, qui avenam, fœnũ, paleas, &c. carius vendunt, quàm alii, dummodo pretium iis³³ non sit taxatum. *Salon. Trul. to. 2. l. 7. c. 20. d. 6. n. 3.*³³

VII. Non potest carius vendere præcisè ob³³ dilatam solutionem, aut vilius emere, ob præcisè anticipatam solutionem, quia in venditione,³³ quæ fit credito, vel in anticipata solutione, est³³ virtuale mutuum, ideoque usura, si quid supra³³ sortem exigatur. Quod intellige, nisi interveniat alius titulus ex supra enumeratis de usura;³³ vel nisi aliunde crescat pretium, v.g. ex frequentia emptorum, &c. *Bon. l. c. ex Less. Regin. Fill. &c.*³³ *Vid. superiore dub.*³³

VIII. Licitum est vendere rem cum pacto de³³ retrovendendo, id est, ut emptor teneatur tibi³³ statuto tempore, vel cùm volueris, eam revendere, modò vera, & non ficta emptio fiat, nec³³ palliata usura intercedat. *Mol. d. 375. Less. dub.*³³ *14. &c.* Qui addunt juxta æstimationem illius³³ operis ac pacti, pretium esse imminuendum,³³ *Vid. Lugo. d. 26. n. 189.*³³

IX. Monopolia, id est, cùm unus, vel plures id³³ efficiunt, ut ipsi soli aliquid vendant; vel cùm³³ mercatores conspirant, non minoris vendere,³³ non sunt contra justitiam, modò non conspirarent extra justum pretium vendere. Ita contra³³ *Rebel. & Nav. &c.* docent *Mol. Less. d. 21. &c.* Qui³³ tamen concedunt esse contra charitatem. *V. Lugo d. 26. n. 174. & 175.* Porro Principum vel³³

Magi-

»Magistratus est, cum uni, vel paucis tale privile-
 »gium conceditur, ut soli aliquid vendant, iis et-
 »iam pretium taxare, & sic prævidere, ne subdit
 »graventur. *Vide Less. nu. 149. Lugo, n. 170. Trull.*
 »d. 18., ubi rectè notat ex *Nav. man. c. 23. n. 91.*
 »&c. etsi alia monopolia ex justa causa auctori-
 »tate Principis, vel Reip. concessa, taxato pretio
 »sint licita, v. g. bibliopolis, ut nemo alius talem
 »librum vendat, vel ut tantum sit unus aut duo
 »tabernarii in aliquo loco, nihilominus quando
 »unus vel pauci propriâ auctoritate ea consti-
 »tuunt, v. g. emendo merces certi generis, ut fru-
 »mentum, vinum, oleum, &c. ut ipsi deinde a
 »bitratu suo vendant cariùs, peccare semper et-
 »iam contra iustitiam cû obligatione restituendi.
 » X. Venditor debet emptorem præmonere
 »de notabili vitio rei, quod ei obesse potest: v. g.
 »si equus sit furiosus; domus ruinosa, oves mor-
 »bidæ, pannus adustus, &c. alioqui tenetur de
 »fraude & damno secuto: saltem si defectus fue-
 »rit in substantia vel quantitate, v. g. si deficiat in
 »pondere vel mensura, aut vendiderit rem unam
 »pro alia. Et sic peccat mortaliter, cum obliga-
 »tione restituendi, 1. qui frumentum venditu-
 »rus ponit priùs loco humido, ut intumescat. 2.
 »Qui vino Rhenano miscet Francicum. 3. Qui
 »carnes bubulas vendit pro vervecinis, &c. *V.*
 »*Less. d. 11. Bon. Dian. p. 1. t. 8. R. 51. Trull. d.*
 »*11. n. 3. & 5.* Quando autem venditor possit
 »justè tacere vitia qualitatis rei, quæ venditur,
 »sine obligatione restituendi pretium, vel re-
 »scindendi contractum, *vid. Lugo d. 26. n. 118.*
 »& *Trull. n. 5. & seq.*, ubi notat, venditionem
 »factam ab ignorante vitium rei, esse validam,
 »rescin-

rescindendam tamen vel reducendā ad æqua-
litatem, nisi venditor contra hoc exceperit.

XI. Si scias occultè debitorem tuum non esse
se solvendo, injustum videtur, iis, qui id nesci-
unt, debitum illud vendere pretio ordinario:
tum quia est dolus; tum quia vitium intrinse-
cum crediti non revelatur. *Bon. p. 10. ex Less. d. 10. Fill. &c.*

XII. Etsi venditor sciat pretium mercis mox
minuendum, licet tamen vendere pretio cur-
rente, & non dicere emptori (secluso tamen do-
lo, fraudibus, & mendaciis, quibus emptorem
allicere ad emendum ei non licet) quia pretium
currens simpliciter adhuc est justum. *Bon. q. 2. p. 5. n. 12. ex Azor. Fill. Less. d. 5. &c.*

XIII. Si cui datum est aliquid vendendum
pretio v. g. infimo vel moderato, & is vendat
rigoroso, probabile est, ut habet *Angel. V. Em-
ptio. non teneri restituere, sed posse retinere ex-
cessum, cum suā industriā acquisiverit. Aliud ta-
men est de famulis mercatorum, quibus inde-
terminato pretio traditur meliori modo ven-
dendum, quo possunt in utilitatem domini. V.
Less. d. 19. Lug. d. 26. f. 9.*

XIV. Quando sartoribus, ementibus pan-
num pro iis, quibus vestes conficiunt, minoris
venditur quàm aliis, eò quòd sint Parochiani
mercatorum, vel sæpe ab iis emant, possunt
partem pretii remissam sibi retinere, dum-
modo aliàs fideliter agant, quia nulli fit injuria:
cùm mercatorum plurimùm intersit, ut tales
ad ipsorum potiùs quàm aliorum officinas ve-
niant, censentur in ipsorum gratiam remittere,
usque donare eam partem. *Fill. Dia. p. 1. t. 8.*

R. 26.

»R. 26. Negat tamen *Salus*; eò quòd mercatores
 »falsò dicant, se remittere, ut alliciant.

»XV. Cùm res duobus in solidum est vendita,
 »is dominium acquirit, cui tradita est, dummo-
 »do is pretium solverit. Si neutri tradita sit, de-
 »betur ei, qui priùs tempore emit, & alter habet
 »actionem in venditorem. Si quid tamen ven-
 »datur aut detur Ecclesiæ, vel aliis piis locis, ac-
 »quiritur dominium ante traditionem. *V. Less. d.*
 »20. & *Lugo d. 26. f. 11.*

»XVI. Si res pereat ante traditionem, & sit
 »certa ac determinata, v. g. hæc domus, hoc do-
 »lium vini, perit emptori, nisi aliter expresse
 »conventum sit, aut venditoris culpâ pereat. Si
 »tamen res sit indeterminata: (ut si quis emerit
 »10. modios tritici ex granario, oves ex grege)
 »vel si emat rem determinatam quidem, sed ad
 »mensuram, (ut acervum totum tritici, uno flo-
 »reno in singulas mensuras) tunc ante rei tradi-
 »tionem, aut mensurationem, periculum spectat
 »ad venditorem. *V. Less. d. 12. Lugo, n. 216. Lay.*
 »l. 3. t. 4. c. 17. §. 2. *Bon. q. 2. p. 9.*

»XVII. Si res vendita pereat, aut deterior
 »fiat post traditionem, perit emptori, licet pre-
 »tium nondum persolverit; quia res domino
 »perit. *Lay. Bon. ll. cc.*

»*Quæres. I. An & quomodo liceat emere chiro-*
 »grapha seu credita alterius.

»*Resp.* Si credita in posterum exigenda (sive
 »jus, quod habet alter, ut ipsi in futurum aliquid
 »solvatur) sint certa, ea minoris emere, solutione
 »anticipatâ, est usura; secluso tamen lucro cessan-
 »te, & damno emergente, *Bon. to. 2. de contr. l. 3. q.*
 »3. p. 10. ex *Mol. Less. d. 8. Toll. Fill.* quia accipi-

tur

tur aliquid supra sortem ex mutuo; nam mutu-
at implicite minorem pecuniam pro exigenda
majore. 2. Dixi certa; quia si credita sint incerta,
periculosa, & litigiosa, ac cum difficultate exi-
genda, licite is, qui non est causa istius difficulta-
tis, minoris emit, prout difficultas, vel incerti-
tudo solutionis minor est vel major: quia cum
tali periculo & difficultate minus valent, *Bon. l. c.*
c. Trul. d. 8. n. 6. Unde resolves,

I. Usuram committunt, 1. Ministri Regum &
Principum, &c. qui ut anticipatam faciant so-
lutionem, aliquid recipiunt à creditoribus. 2.
Qui aliquid accipiunt à debitoribus concessa
dilatione ad solvendum; quia accipiunt aliquid
ultra sortem pro mutuo virtuali. *Bon. l. c. Nav.*
man. c. 17. n. 246. Mol. Salas, &c.

II. Minoris emi possunt regulariter credita &
stipendia, sive salaria debita militibus aut fa-
mulis Nobilium, quia habent adjuncta incom-
moda, pericula & molestias in exigendo. Quam-
ob causam idem licet, etiam si credita illa tem-
pore presentis, vel etiam præterito fuerint sol-
venda. *Bon. l. c. ex Reg. Mol. &c.*

III. Qui ipse est causa difficilis solutionis,
peccat contra justitiam emendo minoris, & te-
netur ad restitutionem, tum quia ipse est causa
damni, cum ipsius culpa creditum valeat mi-
nus: tum quia alioqui præmium delicto suo re-
portaret. *Mol. ro. 2. d. 313. Fill. Bon. l. c. Hinc*
Quæstores Principum, ad quos solutio pertinet,
quando ipsi sunt causa difficilis & malignæ so-
lutionis, non possunt chirographa vel credita e-
mere minoris, ut docent *Auth. cit. Additque Sa-*
las & Mol. n. 6. non esse liberum Quæstoribus

» &c. , quibus incumbit solvere magnatum debi-
 » ta , uni potius solvere quàm alteri , (nisi quis
 » fortè jus præ aliis habeat , ut *vid. supra de ordine*
 » *restit.*) sed teneri omnibus solvere pro rata, *Bon.*
 » *l. 6. V. Trul. d. 10. n. 3.*

A D D E N D A.

928 Q. 162. *Quid notandum sit circa doctrinam hu-*
jus articuli. R. Quæ *Busenbaum* habet resol. 8. de
 contractu revenditionis , intelligenda sunt se-
 cundùm dicta hîc à n. 902. & dicenda n. 991.
 Quæ habet resolut. 13. de vendente rem alie-
 nam, intellige secundùm dicta p. 1. n. 1041. Quæ
 habet resolut. 14. de sartoribus , intellige secun-
 dùm ibidem dicta n. 1044. Pro reliquis melius
 explicandis jam addemus aliqua.

929 Q. 163. *An venditio debeat esse de re & pretio de-*
terminato. R. Affirmativè , hinc venditio rei
 determinatæ , aut rei determinatæ , sed facta pro
 pretio indeterminato , est invalida , uti si dicas ,
 vendo tibi rem aliquam , vendo tibi hoc vinum
 justo pretio , quanti volueris &c. Ratio est , quia
 in his casibus non potest resultare obligatio tra-
 dendî rem vel pretium , quorum utrumque in se
 est semper aliquid determinatum , ita *Lugo in*
resp. mor. l. 6. d. 18. Spor. t. 6. c. 5. n. 7. , Valeret
 tamen , si diceres , emo à te hunc equum , quanti
 tu emisti , quanti in his nundinis vendentur simi-
 les equi ; item , emo hac pecuniâ , quanta est in
 meo marsupio &c. quia hîc à parte rei adest cer-
 tum & determinatum pretium.

930 Q. 164. *Quid circa rerum pretia sit notandum.*
R. Seqq. §. 1. Pretium , est pecunia , quæ pro
 merce datur : hinc ante inventionem pecuniæ
 non

non fiebat emptio aut venditio, quia deerat pretium, sed tantum fiebant permutationes rerum per contractus innominatos, uti, *do, ut des; do vinum, ut des pannum &c.*

§. 2. Pretium, aliud est legitimum, quod publica lege vel voluntate Superioris taxatur; aliud naturale seu vulgare, quod constituitur ex consensu partium secundum materiam mercis spectatam secundum esse usuale & æstimationem hominum. Pretium legitimum consistit in indivisibili, & ex justitia observari debet sub onere restitutionis; desinit tamen obligare taxa, si ab initio fit, vel mutatis circumstantiis fiat injusta, sive infra fines justii pretii, *7lls. t. 4. d. 2. n. 399.* cum communi: aut si res taxæ sint notabiliter meliores, quam quæ communiter in foro venduntur; aut si Superior permittat vendi extra taxam, quamvis unum vel alterum puniat, volens experiri, an retineatur taxa, *Fagund. Tambur. Spor. supra f. 1.* Potest autem emptor emere infra taxam, si hæc in ejus favorem sit posita, quia nemo obligatur uti tali favore: Econtrà peccat, v. g. *lanio*, si meliores carnes vendat supra taxam, ossa verò & viliora carniū, secundum taxam; tenetur enim æqualiter partiri carnes, cum proportione partium meliorum & viliorum.

§. 3. Pretium vulgare est, summum, medium, infimum, v. g. si medium pretium sint decem, infimum erunt octo cum dimidio, summum verò undecim cum dimidio, & ita de aliis, servatâ proportione, semper tamen minuendo, ut putat *Mol.*, v. g. si pretium medium sint 100, infimum debent esse 95., summum 105: Notat tamen *Spor. n. 26.* pro hoc tempore id dici scrupulose,

pulosè, ideoque putat standum esse iudicio prudentum, secundum circumstantias fori & communem sensum negotiatorum.

933 §. 4. Pretium vulgare sæpe mutatur, prout est copia vel penuria tum mercium tum emptorum, non potest tamen particularis aliquis ideo augere pretium mercis, quia ipse circa illam passus est infortunium, nam res tanti valet, quanti per se æstimatur communiter, non quanti tibi per infortunium vel imprudentiam valet. Quòd si infortunium commune multis mercatoribus induceret penuriam mercium, jam augeri posset pretium, etiam pro eo, qui infortunium non esset passus. Deinde cum pretium vulgare pendeat ex æstimatione hominum, res plura vendi potest apud celebrem artificem, quia nobilitas artificis celebrat artefactum, supponitur enim esse nobilior.

934 §. 5. Non licet augere pretium mercis, ex eo quòd videas emptorem valde indigere illa, aut erga illam affici, quia indigentia illa vel affectus non est res vendentis nec merci intrinseca, sed est res ementis, ergo ob illam iniquum est plus exigere.

935 §. 6. Merces extra officinam ultro oblataz emi possunt minoris, uti cum communi *Caj. Lop. Less. Lug. Dian.* & alii apud *Moy. t. 1. t. 6. d. 6. q. ult. n. 8.*; imò secundum *Rebell.* & alios vilescunt usque ad dimidium, signum enim est, quòd fit vel paucitas emptorum, vel modica mercis necessitas, aut exigua utilitas. Similiter quæ sub habita venduntur, admittunt pretium, quod sine fraude extorqueri potest, hinc vendi possunt vel emi pretio parvo aut magno, etiam infra vel supra dimi-

dimidium pretii, quo emeris in officina, nam ita
usus præscripsit, *Mol. Bonac. Laym.*

§. 7. In alia venditione vel emptione supra 936
vel infra justum pretium, quamvis excessus vel
defectus non attingat dimidium justii pretii, si
tamen non fit intra illius fines, fit injuria, & est
in conscientia obligatio restituendi, est commu-
nis & certa cum *Lugo d. 20. n. 168. Spor. n. 27.*
Sylvio in resolut. Cas. p. 1. V. Contractus, & quam-
vis aliqui Juristæ dixerint licitam esse venditio-
nem, dummodo non fiat supra dimidium justii
pretii, hos tamen rectè confutant *S. Th. 2. 2.*
q. 77. a. 1. in O. & ad 1. Less. l. 2. c. 21. n. 21. alii-
que communiter. Quòd si fit læsio ultra dimi-
dium, etiam in foro externo sæpe datur actio
contra lædentem, ut vel rescindatur contractus,
vel reducatur ad æqualitatem, uti pluribus ex-
plicat *Castrop. d. 5. p. 17. Vide Ills. t. 4. d. 2. à n. 419.*

§. 8. Si supra justum pretium vendidisti Cajo, 937
qui ut se servaret indemnem, eodem pretio in-
justo revendidit Titio, teneris non Cajo sed Ti-
tio restituere, quia hic solus passus est damnum,
Sanch. Lug. Tambur. Spor. n. 29. contra Bardi, cu-
jus probabilem sententiam sequendo, si Cajo
restituisses, *Tambur. & Spor.* dicunt te satisfacisse,
quia sic Cajum magis obligâsset & reddidisses
potentem ad restituendum Titio.

§. 9. Si emptor sciat pretium mercis mox no- 938
tabiliter augendum, emere potest pretio nunc
currente multo minore; item, si sciat mercem
aliquam vel monetam prohibendam, potest
mercem vendere vel exponere monetam secun-
dum æstimationem præsentem, quia hoc est ju-
stum pretium aut valor publicus pro nunc, ne-

que alicui nocere debet privata notitia, quam de re aliqua per accidens habet. Dico, privata, nam omnes cum *Lugo* d. 26. n. 140. docent Magistrus ipsos, qui pretia rerum mutant, vel talia vendi aut exponi prohibent, non excusari, si studio faciant, vel expectent, v. g. donec ipsi omnia su vendiderint aut exposuerint, nam ex suo officio tenentur impedire damna communia, & facere ut ex suis legibus, quantum fieri potest, unus non gravetur plus altero; rectè tamen addit *Lugo* posse eos non aliter ac alios bonâ fide distrahere sua non obstante tali notitiâ, quando in eadem quantitate, seclusâ illâ notitiâ, distrahuri fuissent: consentiunt alii cum *Ills.* t. 4. d. 2. n. 403.

239 §. 10. Si Quæstor mandatum accipiat à Principe, ut statim 1000. mensuras vendat pretio currenti, v. g. singulas aureo, si sciat pretium rei vendendum intra mensem ad 2. etiam vel 3. aureos in singulas mensuras, licitè facit mittendo Principi 1000. aureos, volendo sibi rem emere cum ejus periculo & spe istius lucri post mensem, ut *Spor.* n. 34., & ratio est, quia habebat jus emendi non aliter atque alius.

240 Q. 165. Quale ergo statui possit pretium rei necdum presentis. R. Statui potest, vel quale reipsum erit, quando res existet, & tradetur, vel quale probabiliter putatur futurum, vel si haberi non possit probabilitas futuri pretii, quale omnibus pensatis arbitrio prudentum videtur justum: Notat autem *S. Thom.* opusc. 73. c. 10. non esse vitium minoris emere, v. g. segetes crescentes, quam valituræ sunt maturæ, quia res imperfecta seu necdum apta ad usum, est minoris valoris, cum ad usum necdum serviat: quòd si eam ita imper-

imperfectam emeris, jam factus es ejus dominus, & quod ei accrescit, tibi cedit, utpote domino, unde pretio sic constituto standum est, licet postea tempore traditionis res multò pluris vel minoris valeret, quia utrimque par fuit periculum lucrandi & perdendi, ita cum communi etiam Spor. n. 32. Potestque videri etiam Castrop. d. 5. p. 13. Item dicta n. 689.

Q. 166. Quantum pretium liceat accipere pro 944
 re rara & peregrina. R. Sot. Med. Led. Salon. Valent. Sa, P. Nav. Baun. & alii cum Spor. t. 6. c. 5. n. 25. dicunt venditorem licitè accipere, quantum potest, quia talia nec legitimum nec vulgare pretium habent, cum enim necessaria non sint usibus humanis, non veniunt in commercium aut taxationem communem, ergo venditor non videtur teneri ea à se abalienare, nisi persolvatur, quod petit, & ita apud Japones pro vilissima re sæpe accipitur pretium magnum. Econtra Cajet. Nav. Mol. Rebell. Less. Salas, Castrop. d. 5. p. 3. Luzo d. 26. n. 47. Burgh. cent. 2. cas. 58. & alii putant non posse accipi nisi pretium, quod prudentis arbitrio spectatis circumstantiis justum censetur, quia in ejusmodi rebus pretium illud censetur justum, quod communiter justum æstimatur, & quod rationabiliter commensuratur valori. Utraque sententia est probabilis, spectatâ tamen ratione videtur secunda esse probabilior.

Q. 167. Si quis sciat in agro esse thesaurum vel 942
 venam auream, an licitè emat agrum communi pretio. R. Utrumque absolute negant Vasq. Turr. & alii cum Dian. p. 9. t. 5. R. 17. Rationem dant 1. quia non est æqualitas inter pretium & rem emptam. 2. Quia alioquin etiam posses ignare

rustico dare vile pretium pro pretiosa gemma, quam invenisset & cuius pretium non nosset. Quia dolus, qui videtur hic intervenire, nemini favere debet. 4. Quia hoc ipso, quod quis invenit thesaurum in fundo alieno, media pars debetur domino fundi, secundum dicta n. 106. Et contra affirmant de thesauro *S. Thom.* aliique multi cum *Bonac.* de Restitut. d. 1. q. 3. p. 6. n. 7. *Lugo* d. 6. n. 128. *Burgh.* cent. 3. cas. 72., nam hoc ipsum innuit *Christus* rectè factum esse *Matth.* 13.; deinde fundus non emitur ratione rei latentis, sed ratione superficiei; denique quia juxta communem hominum æstimationem illud est justum pretium talis fundi, ergo emens illo pretio plus non peccat, quàm emens fascem herbarum. sciens unam ibi esse pretiosam & sibi velle de utilem. Idem dicunt *Lugo, Bonac. & Spor.* n. 72 de illo, qui emeret rem mobilem, v. g. piscem, in quo reperiret gemmam, aut saccum lanæ hosti ereptum, in quo lateret pecunia, quamdiu enim vendens non sciebat ibi esse gemmam aut pecuniam, non acquirebat illius dominium, & si à quocunque ibi inventa fuisset, media ex parte fuisset inventoris, & media illius, cuius tum erat piscis vel saccus. Circa venam auri vel aliud minerale in agro, *Turr.* & alii dicunt non licitè emi communi pretio, quia censetur pars vel saltem fructus agri, ergo in emptione debet haberi illius ratio: Econtra *Less.* *Bonac.* & alii cum *Spor.* n. 70. dicunt non esse habendam illorum rationem, quod certum videtur in praxi, si emens nesciverit, & bonâ fide emerit, quia nunquam cogetur hoc compensare: Ratio autem universalis est, tum quia in ven-

venditione attenditur solus valor & pretium ,
 quo res valet in ordine ad communem usum &
 in communi æstimatione hominum, non autem
 in ordine ad peculiarem circumstantiam , quam
 emptor non tenetur manifestare ; tum etiam ,
 quia si talis vena est pars agri , uti probat Lugo n.
 107. , ergo cum voluerit vendere totum agrum ,
 voluit etiam vendere venam , & quamvis etiam
 dicatur esse fructus agri , tamen pretio æstimati
 non solet , nisi communiter cognoscatur saltem
 à venditore , alioquin habet se , atque si ibi non
 esset ; tum denique quia probabilis est sententia ,
 quòd tales venæ sint primò occupantis , uti cum
 Bonac. n. 12. docent velut probabile Less. Fill. &
 alii, licet oppositum insinuaverim tanquam pro-
 babilius n. 110. Ad 1. rationem in oppositum
 N. deesse æqualitatem , thesaurus enim vel vena
 ignorata non auget pretium in communi æsti-
 matione hominum. Ad 2. N. conseq. , quia vile
 pretium non est pretium gemmæ secundum
 communem æstimationem hominum. Ad 3:
 N. hinc esse dolum. utitur enim jure suo, nec tene-
 tur indicare , quòd thesaurus vel vena sit in agro.
 Ad 4: Leges videntur loqui in casu , quo inveni-
 ens apprehendit thesaurum, volens facere suum,
 quando alter adhuc est dominus fundi , posset
 enim relinquere in agro , quo casu domino nihil
 obveniret ; si autem emerit agrum, jam est domi-
 nus fundi, ergo ei debetur etiam altera medietas.

Q. 168. *Quandonam ob lucrum cessans vel alios* 943
titulos licitum sit pluris vendere ad creditum. R. §. 1.
 Licitum est absque alio titulo vendere pluris ad
 creditum , dummodo fiat intra fines justii pretii ,
 uti rectè Mendo in stat. d. 6. n. 43. , quia nunquam

teneris, per se loquendo, vendere infra summum pretium justum, ergo multò minùs teneris vendere ad creditum, cum hæc venditio plerumque habeat multa pericula & incommoda adjuncta.

244 §. 2. Ut liceat tibi supra justum pretium vendere pluris ad creditum ratione lucri cessantis, debent adesse sequentia, 1. Ut si hanc mercem non vendidisses huic emptori, fuisses venditurus alteri pro numerata pecunia; Ratio est, quia alioquin non habuisses ex hac merce pecuniam, quâ lucrareris, ergo non ideo tibi cessaret lucrum, quia huic ad creditum vendidisses. 2. Ut tu illâ pecuniâ fuisses negotiaturus ante tempus, quo solvetur, si enim mansura erat otiosa, non ideo tibi cessat lucrum, quia ad creditum vendidisti. 3. Ut propter hoc, quòd ad creditum vendas, non ideo habeas plures emptores, alioquin sic compensaretur damnum tuum. 4. De hoc tuo lucro cessante debet admoneri emptor secundùm dicta in simili de mutuo n. 864., alioquin involuntarius est ad excessum pretii. 5. De hoc lucro detrahere debes, quantum expensa & periculum novæ negotiationis iudicio boni viri æstimantur: ita omnes, teste *Spor.* n. 31., ex quibus patet rarò excusari Mercatores ex hoc titulo vendentes supra justum pretium. nam dilatio solutionis præcisè non est justus titulus accipiendi plus, quia justum pretium rei secundùm se est illud, quo res valet, quando traditur, & per se loquendo solutio futura est æqualis æstimationis cum præsentis, secundùm dicta n. 869.; & ideo *Roder.* l. 3. q. 7. à n. 29. negat licere pluris vendere ad creditum, ob carentiam pecuniæ.

245 §. 3. Licere pluris vendere ad creditum ob peri-

periculum non accipiendi pretium, docent cum
 aliis *Dian.* p. 1. t. 8. R. 57. *Less.* l. 2. c. 25. n. 33.
 aliique 20. apud *Moy.* t. 1. t. 6. d. 6. q. ult. n. 6.
 Item ob periculum sumptuum vel molestiæ, quæ
 probabiliter timetur futura in obtinendo postea
 pretio, uti cum communi docent *S. Thom.* opusc.
 73. c. 10. *Sot. Bannez, Prado, Moy.* n. 7. *Steph.* t.
 4. d. 9. n. 66.; videri tamen potest *Jlls.* t. 4. d. 2.
 n. 402.

Q. 169. Si nunc bono pretio vendantur, v. g. sal- 246
 pæ, & Titius omnes emat, ut factâ earum penuriâ ca-
 rius vendat, an hoc monopolium sit illicitum. R. *Salas*
 & alii affirmant: & quidem esse contra justitiam
 docent *Ang. Silv. Nav.* aliique cum *Laym.* l. 3. t.
 4. c. 17. n. 41. & *Spor.* n. 103., Rationem dant 1.
 quia sic injustè compelluntur emptores ad au-
 gendum pretium. 2. Injustè subducitur Reip.
 pretium medium & infimum. 3. Talis potest pu-
 niri ob talem suppressionem mercium. Econtra
 dicunt non esse contra justitiam *Mol. Turr. Bo-*
nac. Fill. *Less.* l. 2. c. 21. dub. 20. *Castrop.* d. 5. p. 34.
 n. 6. *Dicast.* l. 2. t. 9. d. 3. n. 164. *Tambur.* l. 8. t. 3.
 c. 7. §. 11. n. 11. *Burgh.* cent. 2. cas. 19. *Jlls.* n.
 403.; imò nec esse contra charitatem docent
Mol. & Lugo d. 26. n. 177., dummodo id faciat
 solus Titius, non inducendo ad hoc etiam alios,
 & supposito, quòd id lege non prohibeatur, nec
 ideo notabile damnum causetur Reip. Ratio ho-
 rum est, quia ita fecit *Joseph* in Ægypto *Gen.* 41.
 neque talis impedit alios, quominus etiam e-
 mant, si velint; & differendo venditionem in
 aliud tempus, utitur jure suo. Ad 1. rationem in
 oppositum negant compelli, sed liberè jam e-
 munt carius, quod neglexerunt antea emere vi-
 lius.

lius. *Ad 2. & 3. N. assumpt.* Hæc sententia est probabilis, sed prima videtur probabilior, nam sic colligere omnes merces in ordine ad incidendam inopiam & augendum postea pretium, est re ipsa facere monopolium auctoritate privata, quod jure Gentium videtur esse illicitum.

947 *Q. 170. Quid dicendum sit, si Mercatores conspirent non vendere minoris, attamen adhuc intra limites justii pretii. R.* Aliqui dicunt non esse contra justitiam nec contra charitatem, uti refert *Castrop. n. 3.*, quia non excedunt pretium justum, nec charitas videtur obligare ad abstinendum à lucro, ne proximus patiatur damnum, alioqui semper vendendum esset minimo pretio: E contra tamen *Lugo n. 176.* tenet sententiam oppositam, vocatque communem, quia licet non pecces sic vendendo, tamen peccas suadendo id reliquis, sicuti ordinariè non peccas, si non des elemosinam pauperibus, peccas tamen, si suadeas alii omnibus, ut non dent.

948 *Q. 171. Quomodo venditor teneatur vitium, vel emptor pretium mercis manifestare. R. §. 1.* Si vitium sit ita manifestum, ut quivis facile possit advertere, *S. Thom. Sot. Mol. Laym. & alii rectè dicunt non esse opus manifestare, dummodo vendatur intra fines justii pretii, etiam considerato illo vitio, sibi enim imputet emptor, quòd non attenderit: si tamen advertere non posset ob imperitiam vel aliam invincibilem ignorantiam, docent AA: communiter cum Castrop. d. 5. p. 22. n. 7. Spor. n. 67. Ills. t. 4. d. 2. n. 400.* fore obligationem manifestandi, quia respectu hujus emptoris est, atque si esset vitium occultum.

949 *§. 2.* Si vitium occultum grave obstat tantum

tum fini intento ab emptore, non autem reddat rem absolutè vitiosam, v. g. Cajus dicit se velle emere bovem ad arandum, tu vendis talem, quem scis esse ineptum ad arandum, scis tamen esse bonum, ut impinguetur pro macello, in hoc casu *S. Anton. Gabr.* & alii putant contractum non posse rescindi, cum merx sit simpliciter bona & pretio isto digna, sed oppositum probabilius tenent *Salon. Sal. Rebell. Castrop. 7lls.* supra & alii, quia decipis in re gravi, & tenebaris te accommodare menti ementis, qui non aliter consentiebat in pretium: è contrà quando vitium occultum non reddit mercem inutilem fini ab emptore intento, sed adhuc habet commodum usum; item quando vitium est tantum leve, si credas alterum non empturum aut minoris empturum, si manifestares, *Panorm. Rebell.* & alii multi dicunt te teneri manifestare, quia alioquin illa emptio erit ipsi involuntaria; Econtrà probabilius negant *Sot. Valent.* aliique multi cum *Castrop. n. 14.* & *Spor. n. 68.*, quia nec jus naturale nec positivum jubet hoc fieri, cum res non vendatur pluris, quàm justo pretio, adeoque non fiat ementi injuria, licet fortè emptio sit secundum quid involuntaria.

§. 3. Si emptor interroget, an vitium insit, vendens tenetur manifestare etiam occultum, alioquin erit dolus dans causam contractui, ergo invalida erit venditio & emptio: quod putat *Spor. n. 65.* esse verum, etiamsi vitium esset leve, quia emptor satis declaravit se habere voluntatem tantum conditionatam emendi, si nullum vitium inesset, quod scire voluit: potest tamen tum non manifestato vitio dicere venditor se

se bonâ fide vendere, spondendo indemnitate,
Tambur. l. 8. t. 3. c. 7. §. 9. n. 29. *Spor.* suprâ.

951 §. 4. Emptor tenetur venditori simplici
 ignaro manifestare bonitatem vel pretium me-
 eis, v. g. gemmæ, quam invenit & vendere vult,
 nesciens ejus pretium, alioquin emit pretio non
 justo, quia non tanto, quanti in communi æsti-
 matione valet, ita cum communi *Castrop.* n. 1.
 Quod si emens dicat, volo tam multum dare, si
 rem des & condones, si fortè valet suprâ, putant
Caj. Arm. & alii fati esse, sed merito cum aliis
 contradicunt *Mol. Lugo* d. 26. n. 137. *Spor.* n. 69,
 quia venditor sic non donat liberè sed ex pacto,
 quia emptor aliter non vult emere, ergo non est
 condonatio gratuita sed involuntaria.

952 §. 5. Quando res communi æstimatione va-
 lis, prius post venditionem cognoscitur esse pre-
 tiosa, si empta sit isto communi pretio, justè re-
 tinetur, uti si vas aliquod communiter putabatur
 esse æneum, quod postea invenitur fuisse ex par-
 te aureum, emens communi pretio non tenetur
 postea aliquid superaddere, *Tambur.* §. 11. n. 41.
Spor. n. 71. Ratio est, quia quamvis fuerit error
 in substantia physica, tamen non fuit in morali,
 id est, non fuit error in illa substantia, prout
 substabat commercio humano, nam communi-
 ter putabatur ænea, res autem justè emitur tantis
 quanti æstimatur communiter, sicque nunc per
 emptionem justâ transit in dominium ementis.

953 Q. 172. Quid dicendum sit de venditione, in
 qua intervenit fraus vel mendacium. *R.* §. 1. Si ven-
 das quid pro quo, v. g. pharmacopola, ne cogatur
 fateri se non habere certas species petitas, si
 suppo-

supponat alias , injustus est peccatque graviter vel leviter pro ratione damni vel periculi ægro causati.

§. 2. Vendens mercem pretio infimo , sed ⁹⁵⁴ tradens minorem mensuram , ita tamen , ut spectatâ etiam diminutione mensuræ maneat intra fines justii pretii , adhuc est injustus , inquit *Spor. n. 75.* , & tenetur restituere , tum emptori , quia non stat contractu , quem cum illo iniit de tradenda integra mensura , tum aliis Mercatoribus , qui jus habent , ut ementes per talem fraudem à suis officinis non abstrahantur.

§. 3. Si fraude vel mendacio inducas emptorem ad emendum majori pretio , quàm empturus esset , facis injuriam , & teneris restituere , quamvis pretium , quod dedit , adhuc fuerit intra fines justii pretii , ita *Castrop. d. 5. p. 35.* Ratio est , quia agis contra jus , quod quisque habet , ut fraude vel mendacio non inducatur in aliquod damnum. Ob eandem rationem es injustus & teneris restituere , si fingas literas , vel spargas falsum rumorem de obsidenda urbe , de navibus submersis , quæ tales merces advehabant , aliisque similibus , & ideò carius vendas merces tuas , ita *Rebell. & Castrop.* Si tamen pretium auctum jam sit falso rumore non causato à te , *Med. & Graff.* te excusant à restitutione , si fuisti inscius fraudis , non excusant autem , si fuisti conscius ; Consequentius tamen dicerent , inquit *Castrop. n. 5.* , quòd in utroque vel neutro casu excuseris , nam supposito errore venditur pretio secundùm vulgi æstimationem constituto

tuto, hinc veriùs putat *Castrop.* cum *Rebell.* & aliis in utroque casu te teneri restituere, nam idem pretium nequit esse justum & injustum respectu diversorum, sed respectu illorum, quorum rumoris sunt causa, est injustum, ergo etiam respectu aliorum: & ratio à priori est, quia pretium, quod falsis & iniquis rumoribus introducitur, non est voluntariè à Rep. constitutum nec approbatum, ergo simpliciter est iniquum.

956 §. 4. Si tantùm diceres, aut etiam jurares, rem tibi pluris constare, te pluris vendidisse alii, te non posse vendere minoris &c., quamvis mens sic inducatur ad plùs dandum, non est obligatio restituendi, quia licet peccent sic mentientes aut jurantes, tamen satis notum est talli solere communiter dici ab illis, quamvis vera non sint, unde sibi imputet, qui credit, ita *Rebell.* & *Castrop.*

957 Q. 173. An mercator licitè possit merci admiscere substantiam alienam, v.g. piperi juniperos, cum picem. R. Potest, dummodo etiam proportionatè remittat de pretio, & merx idonea maneat ad consuetum usum, nec reddatur deterior quàm illa, quæ simili pretio venditur ab aliis, ita *Mol. Laym. Spor.* aliique 12. apud *Mendo* d. 3. n. 17. Addunt *Less. & Lop.*, si materia secundùm se deterior ita per industriam admisceatur, ut res meliùs temperetur, posse vendi consueto pretio, contradicunt tamen rectè pro praxi *Castrop.* d. 5. p. 6. n. 5. & p. 22. n. 4. aliique cum *Mendo* n. 22., quia sic daretur occasio injuriis, quisque enim facilè judicaret rem suam non obstante mixtione manere æquè bonam, aut fieri meliorem; specialiter autem de vino aqua mixto dicunt

dicunt id absolute non licere *Tambur*: aliiq; multum cum *Spor. n. 80.*, quia vinum in se semper reditur deterius citiusque acescit, & admiscere poterit emens, si temperari expediat; itaque non aqua sed vinum vilius erit admiscendum, ut ad commune fori vinum accedat; hoc tamen non obstante docet ex *Robello Laym. l. 3. t. 4. c. 17. n. 15.* te posse facere admixtionem etiam aquæ ad vinum, si aliter non possis obtinere justum pretium, aut si Magistratus injustè taxarit illius pretium. Addunt, Pistorum facere posse panes minoris ponderis, si alioquin justum pretium secundum Magistratus taxationem consequi non possint, sed rectè notat *Castrop. p. 22. n. 5.* non esse facile præsumendam illam iniquitatem Magistratum, qui justè taxant pretium, prout communitati expedit, licet fortè privatus per accidens patiatur damnum, quod aliâ vice facile compensabitur majore lucro.

Q. 174. An licitum sit vendere in fraudem Creditorum, quibus revendita non poteris solvere, quod debes. R. Non est licitum, si retentâ re, quam vendis, poteris lucrari, aut te reddere potentem ad solvendum, uti constat ex dictis *n. 428.*; imò quamvis talis venditio sit valida, si facta sit nescienti, tamen si scienti sit facta, rescindi potest à Creditoribus, etiam non restituto pretio, uti jura statuunt; si tamen non rescindant intra annum, *P. Nav. Mol. & Less.* dicunt e mentem etiam in conscientia esse tutum, sed negant communis alii cum *Nav. & Laym.*, estque sententia utraque probabilis teste *Spor. n. 88.*

Q. 175. An ille, qui emit rem hypothecatam, id est, ad debita obligatam, teneatur hæc debita solvere. R. Communis sententia affirmat, quia res transit ad

emptorem cum suo onere reali, nec emptor plus domini potest acquirere, quam haberet venditor, hic autem non habebat dominium liberum à debitis. Excipit *Lugo* d. 17. à n. 95., nisi tunc sit vendita, quando vendens in extrema necessitate poterat distrahere rem alienam, sicuti enim posset in ea necessitate consumere, ita potest illam vendere tanquam liberam onere, ut sic plenum accipiat illius pretium.

960 Q. 176. *An liceat uti falsâ monetâ.* R. Si est falsa tantum formaliter, id est, si appressa sit forma seu signum Principis sine ulla authoritate, dummodo materia sit bona, licitum est, quamvis enim nudus peccârit, tamen si postea exponatur, habet valorem intrinsecum & communem: contra si est materialiter falsa, quia vel deest pondus communiter requisitum, vel deest iusta materia saltem ex parte notabili, qui scienter exponit, peccat contra justitiam cum onere restituendi. Quòd si quis ignoranter exposuerit, tenetur recipere & commutare, si resciat, aut probetur exposuisse: Similiter qui acceptavit etiam ignoranter, si postea advertat defectum, & resciat à quo acceperit, tenetur suppressere, aut detecto vitio vendere, quanti potest; neque potest exponere pro pleno valore, ut se reddat indemnem, error enim meus soli mihi debet nocere, & ex eo quòd sim deceptus, non est mihi licitum decipere alterum, sed detrimentum illud assignare debeo, meæ improvidentiæ vel casui, *Nov.* aliique, ita ut *Spor.* n. 30. meritò dicat esse omnium: hinc audiendus non est *Dian.* p. 3. t. 6. R. 3. dicens eum probabiliter non obligari ad restitutionem, qui bonâ fide exposuit, uti accepit. De
cussione

cusione monetæ videri potest *Th. Hurt: de Re-
fid. tom. 2.*, ubi à pag. 495: fuse probat ex *S. Th.*
& aliis non esse sine gravissimis causis immutan-
dum valorem monetarum, sed relinquendum
secundùm æstimationem intrinsecam materiæ,
utì valet apud illos, cum quibus sunt commer-
cia: sufficere tamen rationem probabilem, quâ
Princeps judicat id necessarium esse ad bonum
commune, docet contra alios à pag. 498. Deni-
que notat *S. Th. opusc. 73. c. 9. ex Arist.*, esse vi-
tium usuræ, si quis cudat monetam, ut seipsum
reddat ditiozem, intendendo tantùm ejus mul-
tificationem sine necessitate Reip:

*Q. 177. Quid addendum sit circa emptionem
rei furtivæ, vel pro pretio furtivo. R. Seqq. §. 1. Em-
ptor, quamvis sit bonæ fidei, non fit dominus
rei furtivæ sibi venditæ, sed res manet domini,
cujus fuit; Venditor tamen etiam malæ fidei fit
dominus pretii, sed plerumque cum obligatio-
ne restituendi: E contra si quis pretio furtivo e-
mat merces, vendens ex vi emptionis non fit do-
minus pretii, sed dominium illius manet apud
illum, cujus fuerant pecuniæ; emens tamen fit
dominus mercium, & ita habetur ex jure partim
naturali partim positivo secundùm dicta n. 694:
possuntque videri *Laym. l. 3. t. 4. c. 17. n. 21.*
Spor. t. 6. c. 5. n. 53. & alii passim. Quòd si vendi-
tor & emptor sciverint rem esse alienam, restitui
debet pretium emptori, res domino, utì omnes
docent, quia contractus ex utraque parte est nul-
lus, & si res absumatur ab emptore, uterque in
defectu alterius in solidum tenetur restituere,
priùs tamen emptor, quia cùm absumpserit,
censetur magis nocuisse domino, ita cum aliis*

Tambur. l. 8. t. 2. c. 8. n. 6. Spor. n. 59.

962 §. 2. Si vendas equum, quem bonâ fide putas esse tuum, Cajus autem dato pretio emit sciens non esse tuum sed esse Sempronii, tu acquiris dominium pretii, nec teneris quidquam restituere, non Sempronio, uti n. 966. dicitur; nec Cajo, qui voluntariè in te transtulit dominium pretii, sciebat enim equum esse alienum, & tamen dabat pretium volens se eo abdicare, ut jus quaecunque in equum vel aliquem ejus usum acquireret, *Spor. n. 58.*

963 §. 3. Si bonâ fide mercem propriam vendidisti, sed pro pretio furtivo, (: aut secundum *Lapp. d. 6. n. 171* ; si pecuniam furtivam accepisti pro debito :) si compareat dominus pretii, teneris restituere, si adhuc exstet; si autem consumpseris vel per mixtionem feceris tuum, ad nihil teneris, quia non es factus ditior, nam propter illud dedisti mercem tuam, alioquin non daturus, ita *P. Nav. Sanch. Sayr. Vasq. Laym. n. 23. Dian. p. 4. t. 4. R. 67. Dicast. de Restitut. d. 2. n. 25. & d. 5. n. 190. Spor. supra.* Idem est, si bonâ fide emisisti triticum alienum, & per mixtionem fecisti tuum, si autem adhuc esset impermixtum, deberes restituere etiam cum jactura tui pretii, *Petsch. pag. 572.* Notat etiam rectè cum aliis *Dicast. d. 5. à n. 185. & Petsch. supra*, si fur pecuniam aut aliud simile jam antecederet fecisset suum per mixtionem tibi que donaret, te posse retinere, quia dat rem suam: limitant *Sanch. & alii n. 1078.* referendi, nisi sit impotens ex aliis bonis restituere; sed adhuc oppositum velut probabile tenent *Mol. t. 2. d. 328. Less. l. 2. c. 20. n. 168. Petsch. supra, & futius pag. 128.*, cum enim acceptans non moverit ad

ad donationem illam injustam, sed eam supponat, nihil est, quod eum obliget ad negligendum suum commodum, quamvis per accidens inde sequatur incommodum tertii.

§. 4. Etiam bonæ fidei emptor, qui eâdem fide 964 alteri vendidit rem alienam, postquam hoc cognovit, tenetur pretium emptori restituere, si subsit periculum, ne res à domino repetatur, *Valent. Mol. Sanch. Less.* aliique communiter. Ratio est, quia jura disponunt, ut venditor regulariter teneatur emptori de evictione rei, sicuti emptor tenetur venditori de evictione pretii, uterque enim tenetur alterum servare indemnem, si res vel pretium à vero domino evincatur, uti pluribus explicat *Castrop. t. 32. d. 5. p. 28.*

§. 5. Si furatus es Titio equum, & hunc vendas 965 pro 60., ac postea redimas pro 50., satisfacis reddendo equum Titio, & compensando damnum, si aliquod causatum est, lucrum autem illud, quod redimendo fecisti, non est fructus equi sed tuæ industriæ, uti rectè *Mol. t. 3. d. 721. n. 10. contra Sanch.* Vide dicenda n. 967.

§. 6. Si Cajus bonâ fide emit equum à Titio 966 pro 50., quem equum Titius furatus erat Sempronio, & Cajus eundem equum bonâ fide revendit Antonio etiam pro 50.; *Bann. Sot. Med. Covarr. Arrag. Led. Sayr. P. Nav.* dicunt Cajum teneri hoc pretium restituere Sempronio, quia si equum retinisset, debuisset hunc illi restituere, pretium autem successit in locum equi: è contra hoc probabilius negant *Caj Nav. Fil. Laym. Sanch. l. 2. c. 23. n. 187. Dian. p. 2. t. 15. R. 11. Lugo d. 17. à n. 105. Burgh. cent. 1. cas. 87. Spor. n. 57.* quia pretium, quod accepit ab Antonio, non est

Sempronii sed erat Antonii, & nunc transit in dominium Caji, neque Caju ex illa venditione est factus ditior, unde satis est Sempronio, quod retineat jus ad equum suum existentem apud Antonium, simulque habeat actionem contra Titium. Nec verum est, quod pretium succedat in locum rei, nisi ubi leges ita statuunt in certis contractibus, aut saltem nisi quando pretium est debitum pro re, quam debitor habeat, quod hic non est, cum equus non sit in Caji potestate.

967

§. 7. Si Caju in posito casu equum illum revendisset pro 60., sicque lucratus esset 10., *Benac. & alii cum Fill. t. 22. n. 84.* dicunt Caju teneri excessum illum dare Sempronio, quia Caju in hoc est factus ditior ex re Sempronii, res autem domino suo lucratur, quæ sententia vera est, si Titius Cajo vendidisset infra infimum justum pretium, v. g. si equus esset saltem 60. Imperialibus dignus, tum enim excessus ille esset justum pretium equi: Si tamen justum pretium equi esset etiam 50., quos dederat Caju, *Mol. Rebell. Less. Laym. Lugo n. 19. Dian. p. 3. t. 5. R. 41. Haut. t. 3. n. 251. Burgh.* suprâ negant teneri ad hunc excessum, quia est fructus industriæ vel fortunæ, si enim esset fructus naturalis, Sempronius posset illud repetere, quamvis equum recepisset, quod dici non debet, quia recepto equo habet, quod suum erat, ergo in nostro casu satis est, si Caju det Sempronio pretium commune, quo similem equum comparare possit.

968

§. 8. Si Caju illum equum Sempronii à Titio fure accepisset titulo gratuito, v. g. donationis, & summo pretio revendidisset, *Mol. Less. alique communiter cum Lugo n. 105. Petsch. pag. 560.*

Spor.

Spor. n. 57. rectè dicunt Cajum teneri pretium dare Sempronio, alioquin planè ex re aliena fieret ditior: & certum videtur, quòd non satisfaciat dando pretium infimum, sic enim Sempronius non reciperet rem suam æquivalenter, quia talis equus communiter non potest infimo pretio emi, ergo tenetur dare saltem pretium medium, quia hoc censetur pretium quasi naturale rei; probabiliter tamen docent *Lugo & Haun.* non teneri dare excessum illum usque ad summum pretium, quia cum res communiter non possint vendi summo pretio, hic excessus censetur fructus industriæ potiùs quàm rei.

§. 9. Si fur rem Caji sublatam furto donaverit Titio, qui eam vendiderit & acceptum pro ea pretium donaverit Sempronio, potest retinere Sempronius, quia Titius, ex cujus liberalitate Sempronius factus est ditior, fecerat pretiù illud suum, uti suppono, *Tambur. l. 8. t. 3. c. 3. §. 1. n. 13. Petsch. pag. 561.* Si tamen Titius scivisset rem esse Caji, in defectu furis teneretur restituere, quia vendendo fecisset injuriam Cajo.

§. 10. Si equus Sempronii, quem Cajus bonâ fide emit vel accepit à fure, pereat apud Cajum, etiam ex gravi culpa Caji, Cajus ad nihil tenetur secundùm dicta n. 143., non ex re accepta, quia nihil ideò habet; neque ex injusta acceptione, quia culpa Caji non erat formaliter injuriosa Sempronio, cum de illius jure nihil sciret.

§. 11. Quamvis scias rem furtivam esse ab aliis emendam vel consumendam, tamen facis injuriam, si emas animo retinendi, uti sequitur ex dictis n. 49., quia quisquis emet vel consumet, ille cooperando furi faciet injuriam domino,

ergo præveniens in emendo vel consumendo, prævenit in injuria. Quòd si prudenter præsumeres rem à domino jam haberi pro derelicta, posses dare aliquid etiam vilissimum, ut acciperes, & sic faceres tuam, non titulo emptionis sed occupationis; domino tamen postea comparanti deberes reddere, si eam re ipsa non habuisset pro derelicta, tum enim se non abdicasset domino, *Tambur. l. 8. t. 2. c. 8. n. 14.* Dixi, animo retinendi, quia posses modico pretio emere animo reddendi domino, si datum pretium refundat, sic enim utiliter geris illius negotium, teneris tamen tunc in illum inquirere, *Laym. Spor. n. 61.* Quòd si ex prudentibus argumentis iudicasses dominum voluisse refundere etiam magnum pretium, ideoque tu illud furi dedisses, ut rem domino vendicares, posses hanc tamdiu detinere, donec dominus pretium illud tibi refunderet, uti contra *Lugo* docent multi cum *Laym. Tambur. n. 11. & 15. Spor. n. 62. & 68.*; ratio est, quia tum bonâ fide egisti ex prudenter præsumpta voluntate ejus, debesque censeri utiliter gessisse negotium illius, ergo non debes inde pati damnum. Ex hac ratione fortè excusari potest, si Magistratus hanc ferat legem, ut Judæis liceat emere res ad se delatas, quas bonâ fide putant non esse furtivas; quòd si deprehendantur fuisse furtivæ, dominus, si recipere velit, teneatur Judæo refundere pretium, id enim aliquibus videtur esse utile publico, 1. quia Judæi communiter dant, ideoque tantùm repetere possunt parvum pretium. 2. Quia alioquin res furtivæ aliò deportantur sine spe recuperandi. 3. Quia si non refundatur pretium, erunt nihilominus

lominus ex Judæis, qui emant, & se emisse negent, sicque majus damnum patientur domini.

§. 12. Licitum est bona fidelium injusto bello ⁹⁷²
à Piratis capta emere, & in proprios usus convertere sine onere restituendi, uti ex decretis S. Congreg. ab Urb. VIII. approbatis docet *Veriuis* in *Pasto Mission.* t. 4. a. 13., meritò tamen aliqui in Congreg. addebant requiri animum restituendi sic empta, si domini comparerent, & pretium datum redderent, ratio autem est, quia voluntas dominorum præsumitur esse, ut potius fideles in suum commodum habeant quàm infideles. Et ita quòque quamvis *Less.* in auct. V. *Beneficium.* cas. 6. dicat non licere ab hæreticis emere bona Ecclesiarum & Monasteriorum, nisi cum animo restituendi ea cum fructibus omnibus, tamen *Verju.* absolutè putat licere Catholicis, etiam sine conventionem cum Papa vel Generali Ordinis emere talia bona immobilia ac retinere, quamdiu à propriis dominis occupari non possunt, nec interea esse obligationem ad interesse aut ad solvendum aliquid pro fructibus, quia etiam hic est præsumpta voluntas Papæ & dominorum, quòd potius velint jura & fructus cedere Catholico quàm manere in manibus acatholicorù sine spe recuperandi: si tamen acatholicus emeret, careret hoc jure, quia Ecclesia illi non favet. Quòd si bona sint mobilia, v.g. Calices, debent restitui, & quando bonâ fide sunt empta, potest repeti pretium; si autem nesciatur ad quam determinatè Ecclesiam spectent, satis est restituere alicui Ecclesiæ ejusdem Diocesis aut Ordinis cum conditione dandi vero domino, si comparuerit. V. *Arsd.* t. 2. p. 2. t. 6. in *Res. de hæret. q. 10.*

973 §. 13. Si prudenter dubites, an res venalis sit furtiva, quia possessor videtur esse malæ fidei, illicitè emes, quia te expones periculo usurpandi alienum; sine causa tamen dubitare non oportet, quia delicta non præsumuntur. Quòd si tu ipse bonâ fide rem possederis, & superveniat dubium, an sit tua, poteris vendere, si emptori admonito te obliges de sustinendo evictionis periculo, *Laym. n. 27. Dicast. de Rest. d. 5. n. 215. Petsch. pag. 584.*

974 Q. 178. *Quis sit dominus rei venditæ.* R. Jure civili & Gentium dominium mercis etiam traditæ non antea acquiritur emptori, quàm pretio persoluto vel assecurato per cautionem pignoris vel fidejussoris, aut per fidehabitionem, quam *Stryck. de caut. contr. f. 2. c. 8. l. 24.* dicit non esse præsumendam, sed ab emptore probandam, licèt in hoc contradicant *Barb. & alii.* Quando autem venditor principalis est Ecclesia, fiscus vel Minor, res per venditionem Ministri, Procuratoris vel Curatoris non alienatur ante actualem solutionem, uti ex *L. Si Curator, 5. De Jure fisci, & Gl. ibid. colligunt Mol. Less. Laym. & Castrop. apud Jlls. t. 4. d. 3. n. 190.* In dubio autem censetur alius venditor tradens mercem cedere dominium emptori, multò magis si jam recuset pretium rei emptæ, vel pro soluto habeat, & contentus sit promissione, uti communiter fit, & tum merx hoc ipso transit in dominium emptoris, vel ex jure positivo, uti vult *Mol.*, vel ex jure naturæ & intentione contrahentium, uti vult *Lugo d. 20. n. 17.*, nam alioqui censetur venditor tum priùs velle se abdicare dominio, quando præstatur pretium, vel aliquid æquivalens, ideoque

que manet venditoris, & si ablata fuerit, debet huic restitui; si autem sit vendita pretio tantum affecurato, *Cuj. Med. Nav. Rebell. Bonac. aliiq;* apud *Lugo* n. 16. dicunt adhuc debere præferri venditorem, quia res est loco pretii; Econtrà *Covarr. Mol. Vasq. Laym. Castrop. Lug. flls.* n. 204. & alii æquè probabiliter negant, quam sententiam discussis utrimque rationibus defendit *Petsch.* à p. 657., quia talis merx est sub dominio emptoris, non aliter atque res aliæ; neque verum est, quòd res talis maneat hypothecata seu obligata venditori, nisi expressè sit de hoc conventum, sed transit in dominium emptoris sine reali onere rem afficiente: quod *Conf.* quia si res talis ab emptore vendatur tertio, primus venditor haberet actionem in hunc tertium pro obtinendo pretio, quod primus emptor necdum persolvisset, res enim illa, utpote hypothecata, transfiret cum onere, hoc autem negant adversarii, ergo signum est obligationem solvendi non esse realem, quæ mercem ipsam afficiat, sed esse tantum personalem. Neque universaliter verum est, quòd pretium sit loco rei, uti n. 966. dictum est.

Q. 179. Quid addendum sit circa rem duobus venditam. R. Hæc pauca: Si prior emptor solvit pretium, posterior, qui non solvit, licet rem habeat, non acquirit dominium: Nec posterior tum acquirit, quando cum primo emptore initum est pactum non vendendi alteri, tum enim apponitur clausula *Constituti*, id est, Venditor constituit se possessorem pro emptore, ideòque hic Emptor incipit possidere, & præcessit æquivalenter traditio, hinc posterior venditio est invalida. Quòd si posterior emptor, cui res etiam soluto pretio tradita

tradita est, sciverit priorem venditionem, praesumitur fraus, & prior emptor intra annum à die scientiæ habet jus evincendi rem, si tamen intra annum non repetat, secundus emptor, si non induxit venditorem, etiam si sciens emerit, in utroque foro est tutus, & solus venditor personaliter obligabitur primo emptori, ac tenebitur de damnis, ita citatis Juribus & Authoribus *Spor. à n. 86.* potestque videri etiam *Laym. l. 3. t. 4. c. 17. §. 4.*

976 Q. 180. An facto contractu venditor teneatur mercem tradere. R. Aliqui negant, & putant satisfacere solvendo interesse, quod saltem pro foro externo videtur probabile; tamen absolute dicendum est teneri tradere, quia ad hoc determinate se obligavit per venditionem, uti recte *Bartol. Covarr. Menoch. Castrop. d. 5. p. 23. flls. t. 4. d. 2. n. 409.*

977 Q. 181. Ad quem spectent fructus vel alia affixa rei venditæ. R. §. 1. Si aliud nihil conventum sit, fructus tam maturi quam immaturi actu pendentes in re determinata vendita, licet necdum tradita, spectant ad emptorem, uti leges decernunt apud *Less. l. 2. c. 21. n. 100 flls. n. 410. Spor. n. 93.* Ratio est, quia sunt veluti pars rei, quæ emptori debetur, hinc si vinea habens uvæ emptæ sit ante autumnum, traditio autem fiat, postquam uvæ à venditore collectæ sunt, detrahendum est de pretio, quanti uvæ tempore contractûs pendentes æstimabantur, *Mol. Lug. Less. supra.* Similiter pensio domûs elocatæ pro tempore post venditionem sequente spectat ad emptorem, quia habet se per modum fructûs pendentis, tunc nondum perceptibilis à venditore. Similiter vendito equo censetur venditum frænum; item venditâ domo, licet necdum persoluto pretio, ad emptorem

rem spectant seræ, claves, clavi, clavisque affixa.

§. 2. Quoad fructus non pendentes actu, sed 978
 futuros seu nascituros ex re, dissentiunt AA: apud *7lls.* à n. 411., nam Juristæ communiter, ad quos accedunt *Nav. Mol. Rebel. Saa, Sanch. Diana* p. 4. t. 4. R. 139. dicunt, si res necdum sit tradita, nec præstitum pretium vel saltem cautio pro illo, fructus manere venditoris, 1. quia cum hic maneat dominus rei, res domino fructificat. 2. Quia videtur iniquum, ut emptor percipiat fructus ex re, & venditor non possit frui pretio. E-contra *S. Anton. Silv. Rosell. Arm. Lop. P. Nav. Castrop. Less.* n. 109. *Spor.* n. 94. & Theologi communiter ac probabilius putant eos spectare ad emptorem, si res sit absolutè vendita, etiamsi necdum sit tradita, nec cautum de pretio, quia quandocunque nascentur, sunt connexi cum re de se ferente tales fructus tanquam accessorios, ergo cum emptori debeat res, debentur etiam illi fructus: Unde ad 1. rationem oppositam dicunt rem fructificare domino, nisi alteri sit debita, nam similiter dicitur perire domino, hoc tamen non obstante sæpe perit emptori, cui debita est, licet necdum illius sit dominus, uti n. 983. dicitur. Ad 2. Id compensatur per hoc, quòd ad emptorem pertineat periculum rei; pretium autem futurum, quòd solvetur venditori, est, per se loquendo, æqualis valoris cum pretio præsentem jam persoluto, uti n. 869. dictum est.

§. 3. Nomine fructuum hic non venit thesau- 979
 rus, nihilominus si aliquis tertius thesaurum reperiret in re vendita & tradita, etiam non persoluto pretio, media pars deberetur emptori & non venditori, *7lls.* n. 414.

§. 4.

980 §. 4. Si emptio vel venditio rescindatur ob
laxionem supra dimidium, fructus temporis in-
termedii pertinent ad emptorem, sicut & peri-
culum eius ad illum pertinebat, *Mol. Saa, Laff.*
dub. 15. *Spor. n. 28.*

981 Q. 182. An vendens rem frugiferam ad creditum
possit contrahere cum emptore, vel de retinendis fructi-
bus rei venditæ, donec persolvatur pretium, vel si em-
ptor velit fructus, de pensione solvenda. R. Si vendi-
tori emergat damnum vel cesset lucrum ex di-
latione solutionis, aut si retineat in se periculum
rei venditæ, potest repetere fructus saltem ex
parte, uti statuit lex apud *Spor. n. 96.* Quod si con-
trahentes velint tamdiu rem non censi vendi-
tam sed quasi elocatam sub certa pensione, usque
dum solvatur pretium, periculo remanente a-
pud venditorem tanquam dominum, etiam li-
citur erit. Præterea putant *Lugo d. 25. n. 140.*
Spor. n. 97. Beja p. 1. cas. 19. venditorem posse
translato rei dominio velle retinere sibi jus ad
fructus, donec solvatur pretium, tumque eloca-
tis fructibus exigere aliquam pro his pensionem,
imò quamvis venditori nulli emergat damnum
nec cesset lucrum, tamen *Covarr. Mol. & alii* pu-
tant posse petere pensionem absolutè ob fructus,
quos percipiet emptor ex re, donec persolvatur
pretium, quia si res non fuisset vendita sed eloca-
ta sub pensione annua, liceret hanc accipere, ergo
licebit, etiam si fuerit vendita, quia emens ex
venditione nullum habet majus incommodum:
sed oppositum tenendum est, nam res vendita
transit in dominium emptoris, qui etiam inter
incommoda habet, quod res, si pereat, ipsi per-
eat, ergo illi debentur fructus rei, ergo tu injustè
exigis

exigis pensionem ob fructus, qui nec sunt rei tuæ, nec tibi debiti, ita *Rebell. Less. Laym. Castrop. d. 5. p. 26. n. 11. & alii communiter.*

Q. 183. An liceat emere ab aliquo rem frugiferam, cum pacto de retrovendendo, ita ut emptor possit cogere venditorem ad rem redimendam, non computatis fructibus interea perceptis. R. Negant S. Anton. Panorm. Sot. Salas & alii cum Castrop. d. 4. p. 9. n. 7., quia illa non tam esset venditio, quam oppignoratio, de qua n. 1115. Licebit tamen hoc, dummodo ab initio habeatur ratio majoris pretii pro valore prævisorum fructuum, ob quos res antecederet magis æstimabilis. Quòd autem venditioni adjici possit pactum retrovendendi, dicitur n. 992.

*Q. 184. An æquum sit, quòd res absolutè vendita, si pereat ante traditionem, pereat emptori. R. Videtur negari posse, 1. Quia res perit domino, venditor autem manet dominus, quamdiu non tradit. 2. Quia videtur iniquum, si emptor damnum ferat ob rem non suam. Sed tenendum est cum communi id æquum esse, quia jura sic statuunt, ut dictum est n. 705., possuntque videri *Laym. l. 3. t. 4. c. 17. n. 12. Castrop. d. 5. p. 14. flls. t. 4. d. 2. n. 410. Ad 1. rationem oppositam, R. Res perit domino, abstrahendo à dispositione juris, & quando alteri non est debita, C., si jura aliter disponant, vel res debeatur alteri, N. Ad 2. N. esse iniquum, nam venditor vicissim fert incommoda, uti quòd non possit rem vendere alteri, & è contrà emptor commoda, nam percipere potest fructus rei, secundum dicta n. 977. & 978. Dixi, absolutè vendita, si enim tantum conditionatè sit vendita, & ante conditionem imple-**

imple-

impletam pereat aut fiat deterior, damnum est venditoris, *ffls. suprà. Vide dicta n. 705.*

934 *Q. 185. Quid addendum sit circa emptionem Chi-
rographorum vel crediti alieni. R. Seqq. §. 1. Quam-
vis Caj. Panorm. aliique apud Lugo d. 26. n. 95.,
quos sequitur Dian. p. 1. t. 8. R. 49. dixerint Chi-
rographa aliaque debita immatura, id est, post-
hac solvenda, quamvis sint certa, & absit dam-
num, nec cesset lucrum, posse minoris emi, eam-
que sententiam probabilem agnoverint Less.
Mald. Lug. Sanch. in Conf. l. 1. c. 7. dub. 17. Laym.
n. 33. Burgh. cent. 1. cas. 45. aliique plures apud
Moy. t. 1. t. 6. d. 6. q. ult. n. 11., eò quòd jus post
annum recipiendi 100. videatur quid minus
quoad humanum usum & æstimationem quàm
100. præsentis, tamen absolute tenendum est
oppositum, cum S. Th. Sor. Castrop. p. 13. n. 6.
Mend. d. 6. n. 74. Lugo n. 96. Loth t. 10. a. 2. Car-
den. in 1. crisi d. 63. c. 5. & in 2. crisi d. 25. c. 4. Spor.
n. 49. aliisque communissime, atque ideo pri-
mam sententiam improbabilem esse dicunt Mol.
Bann. Salas, uti refert Moy. n. 10. Ratio est, tum
quia in hoc committitur usura ob virtuale mu-
tuum, uti rectè Busenb., tum etiam quia pecunia
certò futura non est minùs æstimabilis quàm
præfens, uti constat ex dictis n. 869. Excipiunt
tamen Nav. Less. Lugo aliique communiter, nisi
ejusmodi Chirographa vel debita obtruderentur,
nam n. 935. diximus merces ultroneè obla-
tas vilescere, & meritò tum præsumitur subesse
vitium vel periculum, notatque sapienter Lugo
suprà, in praxi communiter veram esse primam
sententiam, quia vix unquam erunt Chirographa
aut debita tam certa, ut absit omne periculum
fortis*

fortis, sumptuum aut molestiarum; ut tamen liceat minoris emere, non sufficit, si damnum emergat vel lucrum cesset soli venditori, licet oppositum insinuet *Carden. in 2. crisi d. 25. n. 39.*, nam non ideo est titulus pro emente, alioqui possem etiam in mutuo plus recipere, etiam si soli mutuuario, nisi mutuarem, emergeret damnum vel cessaret lucrum, quod nemo dicet.

Obj. L. Minus. ff. De Reg. Juris dicitur; *Minus est actionem habere quam rem. Bz.* Lex tantum vult jus ad rem esse minus quam jus in re, licet unum quoad utilitatem possit æquivalere alteri.

§. 2. Si Titius per Chirographum se statuerit debitorem 100. aureorum Cajo, qui solus sciat Titium non esse solvendo, aliqui putant Cajum posse vendere chirographum communi pretio, quia Titius in communi habetur potens, ergo chirographum in communi æstimatione est dignum tanto pretio; sed dicendum est Cajum in hoc peccaturum, 1. contra charitatem, quia proximo dat occasionem damni; 2. contra justitiam, quia chirographum illud est veluti merx habens vitium intrinsecum; *Amic. Silv. Less. d. 10. Loth t. 10. a 3.*

§. 3. Si Titius debeat 1000. Principi, qui debeat 1000. Hospitali, & Titius obtineat, ut solvendo Hospitali, satisfaciat Principi, *Salas & Mol. d. 313.* dicunt Titium fore injustum, si cum Hospitali contrahat, ut pro debito 1000. acceptet 500.; *Lugo d. 26. n. 103.* nihil in hoc advertit injustitiæ; *Tamb. l. 8. t. 3. c. 7. §. 8. n. 7. & Spor. n. 51.* probabilius sic distinguunt, si Titius antehac tantò minoris emerat jus Hospitalis, nihil fore injustum, quia poterat, ob difficultatem obtinendi, tantò minoris valere; si autem prius non emerat,

facit injustè , quia Princeps transferebat in Titium onus solvendi Hospitali 1000. debitum Principe, ergo Titius acceptârat debitum Principis liberum ab omni difficultate , ergo injustè detrahit ob difficultatem.

987 §. 4. Si Titius, quia est in gratia Principis, facile consequi possit debitum, quod Cajus, cui debetur, difficulter impetraret, plures apud *Lugo* n. 94. & cum *Loth.* a. 3. dicunt non licere Titio minoris emere à Cajo; sed *Mol. Less. Bonac. Sylv. Lay. & Lugo* suprâ, *Dian. R.* 50. *Burgh.* cent. 1. cas. 50. *Spor.* n. 48. *Wfs.* n. 401. probabilius dicunt licere , quia æstimatio talis debiti non pendet et commodo vel circumstantia unius aut alterius hominis , sed ex publica æstimatione , quantum nempe æstimaretur, si v.g. sub hasta venderetur, licet huic vel illi ob singularem circumstantiam sit futurum utilius. V. dicta n. 906.

988 §. 5. In casu, quo debitum periculosum vel difficile potest minoris emi, *Mol. d.* 361. negat debitorem ipsum posse illud emere minoris, vocatque sententiã oppositam omnino improbabile; sed probabilius contradicunt *Nav. Fagnol. Tamb. Less.* l. 2. c. 21. n. 70. *Burgh.* cent. 1. cas. 50. *Lugo* n. 101. *Spor.* n. 50. aliique apud *Sanch.* dub. 18. dummodo ipse non sit causa minoris æstimationis, quia jus ad tale debitum, minus valet in communi æstimatione; meritò tamen dicit *Lay.* n. 33. ejusmodi negotiationem periculo non vacare.

989 §. 6. Si Cajus debeat Titio 100., & pro interesse singulis annis quinque , rogétque *Sempronium*, ut debitum in se suscipiat ad 4. annos, promittens ei post 4. annos satis facere, *Sempronius* autè primo anno refundat Titio capitale, sicque se liberet ab interesse solvendo , *Lugo* in *Resp. mor.*

mor. l. 6. dub. 9. & de Just. d. 28. à n. 134. putat Cajū post 4: annos teneri Sempronio refundere 120: , quia hic contractus ab initio fuit justus. Docet autem rectè *S. Th.* Opusc. 73. c. 9 si Cajus habeat redditum annum 6. aureorum , & quia jam indiget pecuniâ, Titius eum emat ad annos 3. pro 16. aureis, esse usuram, quia plus acquiritur vel saltem certudinaliter speratur, quam detur, estque virtuale mutuuum.

§. 7. Si Cajus prætendens sibi deberi 1000. à 990 Titio, hanc actionem litigiosam vendat Sempronio pro 400. , & addat se gratis donare reliquos 600. *Justinianus*, L. *Ab Anastasio*, 23. Cod. *Mandati*, reprobatur venditionem , ac statuit Titium satisfacere solvendo Sempronio solos 400. , quos Cajo dedit pro cessione illa , eò quòd per tales mercaturas litium , dentur occasiones vexandi proximum Hanc tamen Constitutionem exolevisse putant aliqui apud *Haun.* t. 10. n. 107. , & saltem videntur supponere omnes cum *Haun.* n. 109. esse pœnalem adeoque in conscientia non obligare , nisi post sententiam Judicis. V. *Stryck.* f. 4. c. 2. §. 9. & seqq.

Q. 186. *An Principi sit licitum vendere officia 991* temporalia. *Bz. Adr: & Salon:* dicunt de jure naturæ esse illicitum, 1. quia Principes non sunt domini, sed tantum administratores Reip. , & officiorum. 2. Quia sic sæpe excluduntur aptiores & digniores, ergo non providetur bono communi, ad quod tamen de jure naturæ tenetur Princeps. 3. Quia talibus emptoribus datur occasio iterum emungendi subditos ut pretium recuperetur. *Az.* p. 3. l. 8. de vendit. c. 7. q. 2. ostendit hoc prohiberi jure positivo tamen addit passim non observari, etiã in Romana Curia. & licet *Jus.* t. 4. d. 2. n. 406.

Pp 3 b

dicat

dicat ex gravibus causis posse id excusari, raro tamen prævalebunt gravissimis incommodis, quæ enumerat *Az. q. 3.* sed *Haun. t. 10. n. 110.* dicit non esse operæ pretium plura dicere circa hoc, quia quidquid dixeris, consuetudo prævalebit; curandum tamen est, inquit, ut serventur, quæ jure naturæ servanda sunt, nempe ut venditiones moderato pretio fiant, & talibus personis, quæ creduntur officio bene functuræ.

992 *Q. 187. Quænam pacta adjici soleant venditioni. R. sequentia: 1. Commissorium, ut si intra certum tempus non solvatur pretium, res censeatur non empta, sicque emptor dicitur cadere in commissum. 2. Adjectionis in diem, ut si intra certum tempus aliquis alius plus obtulerit, res censeatur non empta, sed vendi possit alteri. 3. Retrovendendi; sed necessarium est, in primis ut absit contractus *Mohatra*, de quo dictum à n. 902.; deinde ut servetur æqualitas, ut pluribus *Mol. d. 375. Less. l. 2. c. 21. d. 14. Lugo d. 26. à n. 183. Spor. t. 6. c. 5. n. 101.**

993 *Q. 188. Quomodo rescindi possit venditio. R. 1. Mutuo consensu; nec emptor tunc tenetur restituere fructus, quia stante contractu cesserunt illi tanquam domino. 2. Si adfuerit pactum commissorium vel additionis in diem, ut à n. 992. dictum; & tum fructus compensari debent venditori. 3. Per actionem redhibitoriam, vel quanti minoris, de qua n. 715. 4. Propter læsionem ultra dimidium, uti habet communior contra *Less. relat. n. 624.* Duratque hæc actio usque ad 30. annos. Quod si inculpabiliter facta sit talis læsio, potest lædens manere in contractu, supplendo defectum, nec tenetur compensare fructus interea perceptos: hoc autem jus rescindendi quandoque competit læso etiam contra tertium, cui res
alie-*

alienata est. 5. Per restitutionem in integrum, de qua n. 677. dictum. V. *Ills. t. 4. d. 2. à n. 414.*

Q. 189. Quid sit retractus, & quomodo liceat eum 994 impedire. R. *Retractus*, est jus, quod habet, v.g. proximior consanguineus, ad rescindendam venditionem rei immobilis, oblato pretio, quo ab extraneo vel remotiore consanguineo emebatur: fit autem communiter intra annum & diem; & retrahens, sibi tantum potest redimere, non alteri, *Castrop. p. 5. p. 29.*, quem vide. Potestque retrahens emptorem in dubio cogere ad jurandum, quanti emerit, uti docent *Tiraq: Reinkinck & alii.* Quomodo autem liceat impedire retractum, docebit casus sequens. Titius emit domum à Cajo 995 & solvit 300.; sed timens ne domus retrahatur à consanguineis, ut hos deterreat, cum consensu Caji scribit in instrumento se daturum 500: *Queritur*, an licetè: *Respondet Less. in auct. V. Contractus cas. 7.* hìc committi dolum, qui in jure dicitur *Stellionatus*; addit tamen ex neutra parte esse culpam gravem, nam si quis emens ulnam panni 14: florenis simulet se dare 20.; aut si merces vituperet, ut sic deterreat alios, & solus emat, per hoc non facit injuriam aliis emptoribus, tum quia nō inducit ipsos, ut pluris emant, tum quia quando agitur de notabili commodo proprio, nemo tenetur alteri veritatem aperire, quā cognitā commodum impediretur. Addit *Cas. 9.*, licet Titius mentiretur, mendacium esse merè officiosū. Concludit, etiam sic eludi posse retractum, si conveniat inter contrahentes, ut domus ematur 500, sed simul se obliget venditor ad 200., post contractum condonandos. Verum, in primis certum est, si alter habens jus retrahendi refudisset Titio 500.; teneri Titium hos 200: restituere, quia nul-

lo iusto titulo habet: deinde reliqua, quæ addit & concludit Less., etiam videntur difficilia, nam à n. 69. diximus cum communi, si quis alterum impediatur à consecutione boni, ad quod habet jus; aut licet jus non habeat, si tamen impediatur dolo vel mendacio, inferri injuriam, quisque enim habet jus, ne fraude vel mendacio impediatur, ergo cum hi habentes jus retractus impediatur dolo vel mendacio, fit ipsis injuria, & incurritur obligatio compensandi damna inde secuta, secundum prudentum æstimationem.

De jure retractus videri potest etiam Laym. l. 3. t. 4. c. 17. §. 6.

ARTICULUS II.

Quid sit Negotiatio, & quibus illicita.

- 996 » R. Ea est, cum quis rem sibi comparat eo animo, ut integram, & non mutatam, carius vendendo vel permutando lucretur Quod quia est obnoxium periculo multorum peccatorum, & valde distractivum, ac indecens statui Clericali sic lucris inhiare, severè prohibitum est Clericis constitutis in sacris, & Religiosis omnibus, ita ut mortaliter peccent, si multam negotiationi dent operam, ut ait Less. quem *V. l. 2. c. 21. n. 4. & Lay. l. 3. t. 4. c. 17. §. 7. Bon. de contr. d. 3. q. 1. p. 5. Lug. d. 26. n. 23. Unde resolves,*
- » I. Si Clericus semel iterumque tantum negotietur, in materia non gravi, v. g. libros, cruces, &c. emat, ut occultè iterum vendat carius, non est mortale. *Mald. Fill. Dian. Lugo n. 24.*
- » II. Non est negotiatio Ecclesiasticis vel Religiosis prohibita, si emant pecora, quæ pascuis suis saginata vendant, quia vendunt fructus suorum prædiorum vel agrorum. *Mol. to. 2. disp.*

342. n. 8. *Less. n. 5. Lugo n. 29.* Utrū nec, si greges
alant, ut fœtus, lac, lanam vendant, *Lugo l. c.*
Ubi tamen negat, licere iis conducere agros, ut
fructus vendant, eò quòd (licet non sit negotia-
tio propriè dicta) specialiter illis sit prohibitum
in *Concil. Carthag. V. l. c.*

III. Non peccat Clericus, 1. Si emat agrum
cum fructibus jam maturis, illosque vendat:
quia vendit fructus agri sui, ex *Mol. n. 10. Fill.*
& c. 2. Si id, quod ad proprios usus emerat, po-
stea, vel quia non indiget, vel mutato consilio,
carius vendat. *Ibid.*

An verò, & quomodo Clericis liceat negotia
ri per alios non famulos, præsertim in necessi-
tate, vid. *Lugo n. 36. Trull. t. 2. l. 7. c. 20. d. 19.*
Barbos. de jur. un. l. 1. c. 40. n. 1.

A D D E N D A.

Q. 190. Qualis negotiatio, & quibus Clericis sit 997
prohibita. *R. §. 1.* Licitum est omnibus emere cum
animo vendendi sine lucro; quia non est prohibi-
ta negotiatio, nisi fiat causâ lucri, uti habetur *Cap.*
Secundum, Ne Clerici vel Monachi. Unde si Cleri-
cus emerit aliquid, ut consumat, & postea pretiū
illius crescat, vendere potest, sperans se vilius
emprurum, est enim actus œconomicæ pruden-
tiæ, *S. Th. Mol. Sa, Laym. Castrop. t. 16. d. 4 p. 13.*
§. 3. n. 3. Lugo d. 26. n. 31. Similiter potest emere
plura pro securitate suæ provisionis, & quod su-
perfluet, etiam carius vendere, quia emit animo
obviandi periculo defectūs, qui sæpe multum
nocet, *Lugo n. 32.*

§. 2. Licitum est Clerico emere materiam, ex 998
qua conficiat artefactum & vendat, uti fecerunt
S. Paulus & antiqui Monachi victitantes labore
manuum, Less. l. 2. c. 21. n. 5. Castrop. supra. Lugo n.

27. Hinc Cap. *Ejiciens*, Dist. 88. dicitur, *Quicumque rem comparat, non ut ita integram & immutatam vendat, sed ut materia sibi sit inde aliquid operandi, ille non est negotiator.* Similiter emi potest equus rudis, ut cultior vendatur, quia potius venditur industria quàm res empta, quantum attinet ad excessum pretii, *Castrop. supra.*

999 §. 3. Coquere cerevisiam ex proprio hordeo eamque vendere, non est negotiatio prohibita Clericis, *Manriq. Lez. Gob. in Quin. t. 5. c. 11. à n. 11.* qui n. 13. addit probabile esse, quòd possint etiam emere hordeum, ut confectam inde cerevisiam vendant: Addunt *Manriq. Delbene & alii*, telle *Gob. n. 14.*, etiam posse emere uvas & vinum vendere, dummodo ipsi met vel eorum familiares vinum exprimant; Unde quando id negant licet *Mol. Castrop. n. 4. Lugo n. 34.*, addunt, si fiat per homines conductos; & similiter dicunt illicitum esse emere lanam, ut vendant pannos ab artificibus conductis faciendos. Quamvis autem *Mol. aliq. cum Castrop.* putent illicitum esse etiam ex lana propriorum animalium conficere pannos per conductos famulos ad vendendum, tamen *Lugo* dubitat de hoc, potest enim Clericus vendere lanam suam & operas suorum Ministrorum, uti illicitum est vendere vinum ex suis vinetis expressum, uti fatentur *Mol. Marta, Barb. Gob. n. 12.* Notat tamen rectè *Lugo* in ejusmodi moralibus attendendum esse ad communem sensum & affirmationem, quid nempe censeatur esse vel non esse negotiatio.

1000 §. 4. *Gob. n. 10.* putat in Germania licitum esse in Monasteriis per famulos vendere vinum & panem, id enim propriè non esse habere tabernam aut negotiari, sed sua vendere transeuntibus.

§. 5.

§. 5. *Mol. Laym. Castrop. n. 4.* dicunt illicitum esse 1001
Clerico emere jumenta, ut ea pro pretio elocet,
quia videtur esse quædam negotiatio, sed dubitat
Lugo n. 34, quia emere potest domum, ut elocet,
quando enim emit, fecit sua, nec prohibetur sic
empta elocare, ergo.

§. 6. Dedecet Clericum exercere officium proxe- 1002
netæ, id est, mediatoris inter vendentes & ementes;
non tamen facile erit mortale, inquit *Castrop: n. 9.*

§. 7: Quamvis negotiari prohibeatur quivis Re- 1003
ligiosus, etiã non Clericus, (exceptis fortè Novitiis,
qui in odiosis non veniunt nomine Religiosorum,
ut notat *Lugo n. 25*;) tamen *Med: Less: n. 4: Laym: l. 3:*
t. 4. c. 17. n. 38. Castrop. n. 1. & 4. aliq; communiter di-
cunt intelligi solos Clericos sacris initiatos; sed *Ve-*
ga, Tab: Saa, Salas aliq; cum *Lugo* suprã putant Cle-
ricos etiam in Minoribus constitutos, si beneficium
habeant ad sustentationem sufficiens, contineri
prohibitione, quia hos nulla necessitas excusat & in
ipsis valent omnes rationes prohibitionis, ac leges
prohibentes utuntur simpliciter nomine Clerici.

§: 8: Quamvis *Mol: Rebell: & alii* cum *Castrop: n. 6:* 1004
dicant Clericum peccare mortaliter, si per unicum
actum negotietur in materia gravi, tamen putant
aliqui probabilem esse sententiam *Caj: Salas, Del-*
bene de Imm. Eccl. c. 5. d. 3. f. 3. & aliorum, qui id ne-
gant: Et quoad negotiationem in materia non gra-
vi, consentiunt omnes communiter cum *Busenb:*
suprã: item plures apud *Lugo n. 24.* qui assentitur, si
negotiatio non sit in maxima Summa: Rationem
dant, quia negotiari videtur sonare habitum seu
frequentiam, quæ non est, si unã tantum vel alterã
vice fiat. Vide *Delbene.*

§: 9: Si Clericus negotietur per alium, v. g. si pecu- 1005
niam exponat, alius autem addat industriam, multi

Tom. III.

Qq

apud

apud Lugo n. 36. dicunt esse illicitum, *Med: Arm. Mol: Rebell: aliiq;* communiter cum *Laym. n. 40. Castrop. n. 7:* dicunt non esse saltem mortale, veniale tamen esse docent *Mald: & Mol:* quibus consentit *Rebell:* si per seipsum rationes dati & accepti exigat; *Turr:* dicit, per se loquendo, & ratione prohibitionis, nequidē esse veniale, ac consentit *Lugo*, addens tamen posse esse veniale aut etiam mortale, si Clericus se simul parū aut nimum tali negotiationi implicet: *Less. n. 6:* meritō dicit id indecorum esse nec faciendum absque iusta causa.

1006

§. 10. Si adfit necessitas propriæ personæ vel familiæ, quæ aliter non haberet commodam sustentationem, cessat prohibitio, quia cū sit facta ob decentiam illius statūs, non censetur prohibere id, quod necessarium est ad decenter vivendum, *Lay n. 39. Castrop. n. 8: Lugo n. 37.* Imò etiam licitū est in necessitate gravi pupilli, viduæ vel personæ miserabilis, uti docent *Mol: Regin: & alii cum Castrop. supra.*

An sit negotiatio, si Clericus suis sumptibus curet imprimi librum à se compositum, ut inde reportet lucrum, videri potest *Gob. post n. 27. in append. Quid autem licitum sit Religioso Societatis Jesu, videri potest Lugo n. 35. Vide etiam dicenda l. 4. n. 1374.*

D V B I V M I X.

Quid sit Contractus Censūs, & an licitus.

1007 **R**esp. Is est, cum certâ summâ pecuniæ v. g. 100. florenis, emō à te jus percipiendi quotannis ex bonis tuis, aut certa aliqua re tua utili, siue fructifera, certam aliquam pensionem seu censum, v. g. florenos 5. annuos vel 6. prout consuetudine, vel lege taxatum erit. Ità ut hīc non sit mutuum & usura, si aliàs pravam intentionem non habeas, sed vera emptio & venditio, quā emitur, non

non præcisè ipsa pensio, sed jus eam percipiendi; quod longè minùs valet, ideoq; minoris emitur; licèt post multos annos pretium longè superet. Mol. to. 2. disp. 381. Less. l. 2. c. 22. d. 1. Lay: l. 3: r. 4: c. 18: & cæteri communiter. Rectiùs tamen Lug. d. 27: n. 20. probat ad excusandum censum ab usura, dicendum esse, non emi pensiones, neque jus ad illas, neque fructus, sed potiùs partem ususfructùs talis prædii, super quo census constituitur; ita ut dominium totum directum prædii maneat apud venditorem; dominium verò utile, seu jus ususfructùs, ex parte vendatur. Unde resolvuntur sequentes Casus, qui etiam ex natura emptionis & venditionis solvi possunt.

I. Hic contractus est injustus, si non servetur pretium justum à lege, vel consuetudine probatum, quomodo pro Germania constituit Carolus V. ut jus ad 5. tantùm pro 100. ematur.

II. Non solùm licitus est census realis, id est, constitutus super re aliqua, ut suprà dictum, ex cuius utilitate pensio extrahatur, ita ut ad quemcunque res transeat cum illa obligatione & onere; sed etiam, (saltem ex natura rei, & seclusâ prohibitione legis positivæ) personalis, & constitutus immediatè super persona, quæ suâ operâ & industriâ utilis sit, & fructum aliquem pariat, vel bona in spe vel re habeat, unde pensio duci possit: alioqui enim jus, quod venderet, non esset pretio æstimabile, & sic contractus fictitiuus: Ita probabiliter Covar. Less: d. 3 & 4: Salas dub: 3: n: 2: & c. contra Nav. Mol: to: 2: disp: 387: Lug: n: 25: ubi censum merè personalem illicitum esse, docet esse probabilius & prolixè probat.

III. Iniqui sunt venditores seu censuarii, qui

Qq 2

empto-

emptoribus , five censualistis obligant rem non
 potentem reddere fructus , saltem tot, quot pen-
 sio exigit ; aut reddentem quidem , sed jam aliis
 censibus venditos. *Bon: to: 2: de contract. d. 3. q. 4. p.*
1. n. 9. & 13.

IV. Sicut cum in emptione res perit, perit dam-
 no emptoris , sic etiam in censu reali , si res, super
 quam impositus est census , pereat , vel fructus
 ejus absque culpa venditoris , tunc enim perit
 census , ita ut emptor five censualista non possit
 amplius percipere fructus five censum ; quia qui
 emit, suo periculo emit. *Bon: l. c: Fill: r: 35: p: 2: n:*
255. Unde ad hoc incommodum cavendum, in-
 ventus est sequens modus :

V. Licitum est , ut probat *Tol. l. 3: c: 46: & Less:*
c: 22: d: 11: contractui censûs adjungere aliud pa-
 ctum asssecurationis , ut si res , super qua fundatus
 est census, pereat, id fiat damno venditoris , ideo-
 que nihilominus obligatus sit , vel super aliis bo-
 nis suis eum statuere , vel restitutâ sorte eodem
 pretio redimere. Debet tamen hoc pactum ven-
 ditori compensari , augendo pretium censûs , vel
 quod eodem recidit , minorem pensionem desi-
 gnando. *Bon: n: 30.*

VI. Ex natura rei licitus est, non tantum census
 irredimibilis , sed etiam redimibilis , cum ex una
 parte, tum utriusque, ut patet ex terminorum ex-
 plicatione, quia irredimibilis census dicitur, cum
 venditor non potest illum pro suo arbitrio redi-
 mere : redimibilis autem, cum potest , reddendo
 emptori eandem summam , quam accepit ; atque
 ita rursus sibi emendo , quod antè vendiderat.
 Utrunque redimibilis dicitur , cum ita conven-
 tum est , ut tam emptor , quàm venditor possit
 emptio.

emtionem factam resolvere, & Summam, quam dedit, repetere, *Less: d: 10: Dian: p: 2: t: 5: M: R: 76:*
 Vide dicta de pacto retrovend: in empr: supra.

VII. Nihilominus, quia contractus census redimibilis ex parte emptoris est res periculosa, suaderi non facile debet, nam in *Constit: Martini V. & Calixti III. PP: uti & Caroli V. imper. usurarius contractus* iudicatur. Verum id intelligi debet, secundum præsumptionem fori externi; præterquam quod illæ Constitutiones multis locis eatenus non sint receptæ, quatenus prohibent ea, quæ juri naturali non adversantur, ut notat *Laym: l: 3: t: 4: c: 18.*

VIII. Census vitalitius, quia est virtualis sponso, & nititur eventu fortuito, licitus est. *Fill: Dian: p: 7: t: 9: R: 70.*

A D D E N D A.

Q. 191. Quid præterea notandum sit circa contractum census. *R: Sequentia, §: 1.* Definiri potest universaliter, quod sit contractus, per quem certo pretio emitur jus percipiendi pensionem ex re fructifera alterius, vel ex ipsius persona propter negotiationem, laborem vel industriam utili. Alius est reservativus, si ex re tua alteri transcripta reservaris tibi pensionem: alius consignativus, si alter tibi super bonis suis consignet seu constituat pensionem. Differt à locato & emphyteusi per hoc, quod in his percipiatur pensio ex re propria & alteri concessa solum quoad dominium utile, hinc ex re aliena. Qui censum vendit & postea tenetur solvere pensiones, dicitur censuarius, qui autem emit & cui postea solvitur pensio, dicitur censuista seu censualista, *Lugo d: 27: n: 1.*

Q 3

§. 2.

1009 §. 2. Si dones prædium alteri eâ conditione, ut annuè præstet 100. ex illius fructibus, non est venditio, nec permutatio, nec locatio, nec in rigore census, sed donatio sub modo & gravamine, adeoque contractus innominatus, *do, ut facias, vel do, ut des, Castrop: tr: 3 2. d: 6: p: 3: n: 3.* Neque est census, si Princeps alicui propter obsequia constituat pensionem annuam, cum non constituatur super re vel persona utili, ideòque illa extinguitur morte Principis aut pensionarii, nec transit ad hæredes, *Less: in Auct: V. Census, cas: 1:*

1010 §: 3: De censibus contractu utrimque oneroso constitutis decrevit *Pius V.* 1. Ut statuantur tantum super re immobili, fructifera, certis finibus designata. 2. Ut fiant non nisi in pecunia numerata presentibus testibus ac Notario. 3. Ut nullæ anticipatæ solutiones fiant aut in pactum deducantur. 4. Ut censuarius non teneatur solvere pensionem, si casu fortuito non percipiat fructus. 5. Ut censuario liceat vendere rem censui subjectam, Censuista tamen prius offeratur, ut si velit, intra mensem emat. 6. Ut non fiat pactum, quo censuarius propter moram solutionis teneatur ad pœnam, item ut ex pensionibus non solutis non constituatur novus census. 7. Ut censuarius non sustineat onera, quæ ex natura hujus contractûs ad eum non spectant. 8. Ut re percunte aut redditâ infructuosâ, pereat cum proportione census. 9. Ut census semper maneat eodem pretio redimibilis, censuista tamen admonetur bimestri ante. 10. Potest tum censuista cogere censuarium ad redimendum intra annum. 11. Ut censuarius non cogatur redimere, si nolit. 12. Censusum aliter constituendum declarat esse usurarium. 13. Ut hæc serventur, si census antehac constituti ven-

vendantur. 14. Ut pretium censûs semel constitutum non mutetur in gravamen censuarii. Has omnes conditiones latè explicant *Lugo S: 4: & seqq: Castrop: de Just: d: 6: p: 16: brevius Pirh: l: 5: Tit: 19: à n: 85.;* sed *Less: l: 2: c: 25: n: 33:* meritò dicit Decretum illud, uti & alia aliorum Pontificum circa census, non esse recepta in Belgio, *Spor: t: 6: c: 6: num. 11.* dicit certum esse, quòd Bullæ illæ in nostra Germania receptæ non sint in eo rigore, *Illf: t: 4: d: 2: n: 447:* dicit Decreta *Caroli V. Martini V. Calixti III. & Pii V.* quatenus restringunt jus naturale, pluribus locis, uti & in nostra Germania recepta non esse: idem docent *Tann: & Pirh: n: 84: Platel:* dicit illam prohibitionem *Pii V.* non esse receptam in Belgio, Germania & Gallia, uti patet ex praxi contraria, nam homines passim non faciunt sibi scrupulum, si contraveniant: itaque hîc videndum est, quid de jure naturæ sit licitum vel illicitum.

§. 4. Non obstat æquitati contractûs censualis, quòd pretio finito ematur jus ad pensiones in infinitum, quæ decursu temporis longè superaturæ sunt pretium, ita cum communi *Castrop: p: 12:* Nam similiter pretium agri est finitum, licet illo ematur jus ad fructus in infinitum percipiendos. Ratio à priori est, quia æstimatio talium pensionum, & multò magis juris ad illas, semper decrescit proportionaliter, quo enim pensiones sunt in spe remotiore, tantò sunt minùs æstimabiles, compensatio autem & æqualitas per hoc habetur, quòd periculum amittendi censum aut pensiones, etiam sit perpetuum, uti & carentia pretii, ex qua communiter etiam in perpetuum cessat lucrum vel emergit damnum.

1012 §. 5. Pretium censûs à Censuario irredimibilis debet esse ferè duplo majus quàm redimibilis, uti omnes fatentur, & observatur in praxi, inquit *Laym num. 138*, unde quò census magis accedit ad irredimibilem & recedit à redimibili, eò majori pretio emi debet à censuista: è contrà si censuario maneat libertas redimendi, & censuistæ imponatur onus revendendi ad arbitrium Censuarii, hoc onus est pretio æstimabile, ideòque meritò minuitur pretium censûs, *Laym: Pirh: num. 72*, communiter autem in Germania pretium pro censu redimibili ex parte solius censuarii sunt 100: pro 5, quamvis possit plùs aut minùs dari pro varietate circumstantiarum loci & temporis, *Pirh: num. 79*. Addunt *Tambur. L: 9: T: 2: c: 5: & Sporer num. 29*. receptissimam esse consuetudinem, ut pro censu reali & personali utrimque redimibili, etiam cum pacto assicuratiōnis justum pretium sint 100: in 5, hinc *inferunt*, si census constituatur sinè pactis censuarium gravantibus, justè minori pretio emi, vel eodem pretio majorem pensionem constitui, v: g: sex aut etiam plures pro 100.

1013 §. 6. Census emi potest, spectato Jure Naturæ, minori pretio, quàm fuerit ab initio constitutus, ita cum communi *Less: L: 2: c: 22: n: 47: Sporer n: 30*, & in re consentit *Castrop: P: 22: §: 2*, quia talis census habet se per modum mercis, quæ vendi potest summo, medio vel infimo pretio: hinc *Dian: P: 2: T: 8: R: 36*. excusat illum, qui valde rogatus emit censum 8. annuorum pro 80, quia merces ultroneæ meritò vilescunt, uti *num. 935*. dictum est. Putant quoque *Dian: Tambur: c: 3: n: 11*. aliique etiam posse emi minoris, quamvis pretium à Principe vel à Magistratu fuerit taxatum, quia Lex statuens certum pretium

tiam censibus, intelligitur de censu, quando primum constituitur, non autem de censu constituto, si postea vendatur, dicuntque id ubique ferè in praxi esse receptum.

§. 7. Merces æstimatæ constitui possunt loco pretii, quia æquivalent, & hoc ipso, quod tradantur pro pensione emenda, licet prius æstimatæ non fuerint, jam accipiunt determinatam æstimationem & rationem pretii, *Castrop: §: 4: N: 2.* 1014

§: 8: *Nav: Mol: Less:* aliique cum *Castrop: §: 5: N: 4:* 1015
docent contra *Rebell: & alios* ex debito vero ac legitimo creari posse censum, eò quod videatur perinde esse aliquem liberare obligatione solvendi aut ab ipso solutionem accepisse; imò §: 6: contendit cum *Sor: Mol: Less: & aliis* contra *Salon: Rebell: Salas, & alios*, etiam ex pecunia credita constitui posse censum, quia tali pecuniâ creditâ emi possent merces à debitore, ergo etiam emi potest census: rectè tamen notat *Castrop:* in foro externo ordinariè præsumendam fraudem vel Usuram. Vide *Casp. Rodericum* de annuis reddit: L: 1: Q: 13, ubi optimè resolvit: adde tamen, quæ habet L: 2: Q: 14: à num: 31: Item vide *Onnate D: 76: Sect: 5: & D: 77: Sect: 2.*

§. 9. Censibus constitutus ad longum tempus censetur esse bonum immobile, uti habet communior cum *Lugo D: 27: N: 8*, nisi fortè constituatur in re mobili, v: g: in grege ovium, quod fieri posse docent *Pirh: n: 78:* aliique plures apud *Castrop: P: 23: §: 1*, ubi §§. sequentibus examinat, super quibus constitui possit census. 1016

§: 10: In dubio, an census constitutus, sit redimibilis nec ne, censeri debet irredimibilis, ita *Covar. Lugo n. 7: Spor: n: 6:* Ratio est, quia cum constet de venditione census, & non constet de pacto retrovendendi appposito, venditio præsumitur absoluta, 1017

Qq 5

quia

quia factum illud novi pacti additi non præsumitur, nisi probetur.

- 1018 §. 11. Si Titius tantum fingat se velle redimere censum, ut sic inducat Cajum ad minuendam pensionem, peccat contra Jultitiam & tenetur restituere, *Lugo D: 22. N: 177: aliique communiter cum Tambur: c: 6: §: 9.* Ratio est, quia facit dolum, qui dat causam contractui diminutionis, ad quam non habet Jus. *Nec refert*, quod fingens se velle accusare alterum possit retinere pretium oblatum, secundum dicenda n. 1086. *Nam* hic justè posset accusare, uti suppono, ergo hic venditur vera potentia accusandi, nec alteri inde sequitur aliud onus vel præjudicium, sed potiùs commodum: ibi autem per talem dolum imponitur Cajo onus diminutionis.
- 1019 §. 12. *Mol: Less: Salas*, aliique multi cum *Castrop: P: 37: §: 1.* tenent censualistam non teneri acceptare redemptionem censûs per partes, licet oppositum teneant alii apud *Lugo n: 115.* Ratio priorum est, quia videtur onus, debere sic membratim recipere pecunias suas, nec posse iterum simul ad alium finem applicare, in quod onus non censetur consensisse censualista, si nullum initum sit pactum.
- 1020 §. 13. *Valent: Veg: Salas, Tann: Castrop: P: 24: §: 6: N: 7. Pirh: n: 81.* docent rem censui subjectam non debere incio censualistâ vendi alicui, à quo difficulter aut minùs securè accipietur pensio, quia censualista habet Jus ad rem illam, utpote sibi obligatam, ergo non debet Jus illud per ejusmodi venditionem cum damno fieri ipsi deterius.
- 1021 §. 14. Si res censui subjecta absque culpa censuarii pereat, vel tota vel ex parte, aut in perpetuum reddatur infructuosa, non debetur pensio, vel de hac detrahendum est pro rata, quia pereunte re perit Jus rei inhærens, *Med: Tol: Rebel: Mol: Lessius, quamvis*

vīs id negent de quibusdam censibus *Covar.* aliūque multi cum *Castrop: P: 31: N: 3.* Quòd si res talis uno tantum vel altero anno non redderet fructus, si aliis annis tantos reddat, ut hoc compensari possit, debetur pensio, per se loquendo, uti debetur ex agris, licet tertio aut quarto anno nihil adferant, quia quiescunt, *Less: Tan: Pirh: n: 80.*

§. 15. Persona, super qua creatur census, debet 1022 posse & velle suā industriā, labore aut negotiatione lucrari pensiones annuas, aut saltem habere proventus ex bonis aliis, alioquin erit purum mutuum & palliatio Usuræ, uti notant communiter omnes cum *Pirh: n: 78. & Sporer n: 24.* Vide etiam *Onnate D: 78: S: 1.* Excipiunt cum *Tamb. §: 2: n: 3.* censum vitalitium, de quo jam dicetur.

§. 16. Census vitalitius non consistit in eo, quòd 1023 ematur Jus percipiendi aliquid ex re vel ex persona aliena, sed potius in contractu sortis, in quo contractantes se exponunt æquali periculo lucri & damni, cum mors sit adeo incerta: hinc *Dian: P: 7: T: 9: R: 60.* sic explicat, quòd censualista per hunc contractum sponsonis dicat censuarium non tamdiu victurum, ut recipiendo 10. annuè, recepturus sit successivè totam Summam, censuarium autem è contrà quasi spondeat se tamdiu aut etiam diutius victurum, ubi adest utrimque incertitudo, spes lucri & periculum damni. Hunc autem censum esse justum docent *S. Thomas Opusc. 72. c. 9.* aliūque innumerum cum *Castrop: P. 13. N. 2.* Quòd autem attinet ad pretium illius, debet hoc relinquere prudentum arbitrio, habitâ ratione ætatis, complexionis ac modi vivendi illius personæ, ad cuius vitam constituitur, minoris enim emi debet, si constituat ur super vita juvenis vel hominis robusti, quàm si senis vel

in-

infirmi, & fieri posset, inquit Less: in Auct. v. *Societas officiorum*, ut aliquando 16. in 100. constituerentur. Non potest autem huic censui addi pactum, ut si redimatur, refundatur idem pretium à censuario, quo ab initio venditus est, quia quando postea redimeretur, jam transissent aliquot anni de vita, ergo pauciores pensiones restarent solvendæ, quàm ab initio, ergo Jus ad eas non potest tanti revendi, *Tambur. L. 9. T. 2. c. 3. n. 5. Sporer num. 5.*

Occurrit hic dubium: Titius pridie trium Regum anno 1706. dedit Cajo mille ad censum vitalitium, cujus primam pensionem levaret in termino trium Regum anno 1707: moritur autem Titius die Omnium Sanctorum anno 1706. *Queritur*, an hæredi Titii debeat pars pensionis pro rata temporis decursi.

Pro parte negante est, 1. Quia Jus ad illam pensionem erat personale, Jus autem personale non transit ad hæredem, ergo cum ante terminum Regum 1707. non sit obligatio solvendi, & persona Titii tum amplius non sit, nemo tum est, cui pensio deberetur. 2. Hic pensionarius est veluti usu-fructuarius, qui, secundum communem omnium, gaudet solis fructibus actu perceptis seu collectis. 3. Est praxis plurium locorum, ut nequidem pro rata temporis solvatur tali hæredi.

Pro parte affirmante est, 1. Quòd census vitalitius fit ad alimenta & ad sustentationem vitæ, nam collocans vult vivere pensione, ne vivens capitali, tandem consumat; ergo æquum est, ut pensio currat cum proportione & respectu ad vitam, quæ sustentari debet & sustentatur à die constituti census: hinc *Molin. T: 3: D: 635: N: 8: rectè & universaliter dixit: Pensio in alimenta pensionario est assignata, eaque de*

de causa pro rata temporis, quo vixerit, est ea ad eadem alimenta solvenda: 2. Si Titius Festo omnium Sanctorum transfuisset in Cajum Jus ad pensionem, respondens suæ vitæ, Titius fuisset respectu istius Juris mortuus civiliter, & tamen Festo Regum deberetur illi pensio pro rata temporis, uti certum est, ergo etiam nunc debetur, licet mortuus sit naturaliter, quia in his, & respectu temporis decursi, æquivalent mors civilis & naturalis, uti rectè innuit *Cardinalis De Luca de Benef. Disc. 100. N. 1. 3.* Pensio vitalitia habet se prorsus, uti pensio assignata Clerico pro alimentis & sustentatione vitæ, uti rectè *Garzias P. 2. c. 1: n. 120*, & certum videtur, nam utraque est personalis, est ad sustentationem, finitur morte pensionarii, nec est Jus ad eam nisi anno elapso; atqui pensio Clerica mortuo pensionario debetur hæredi pro rata temporis decursi, uti tenent *Alberic: Gabr: Zech. Peregr. uterque Molina, Covar. variar. Resolut. c. 15. n. 13. Garz. supra, Tondut. Lotter. Galli de Contr. D. 37. N. 8.* aliique communiter, ergo. 4. Quando intra annum redimitur ordinarius census, sive realis sive personalis, debet solvi pensio pro rata temporis decursi, uti habet communis cum *Castrop: Tract: 32: Disp: 6: Punct: 37: §: 4. & Haunold. Tom. 4. de contractu censûs n. 363*, etiam si nunquam sit obligatio solvendi aliquid ante annum evolutum, ergo similiter, si intra annum definat census vitalitius. 5. Si censuista ordinarius moriatur intra annum, debetur hæredi census pro rata temporis præteriti, ergo etiam si moriatur censuista vitalitius, nam hæc tantum est differentia inter hos census, quòd prior velit suo hæredi manere Jus ad capitale, posterior autem velit secum emori capitale, quod est in favorem hujus

jus

jus censuarii , ergo hic censuista non debet saltem quoad pensionem esse deterioris conditionis, quàm prior. *Rationem universalem omnium à priori dant Castrop: & Haunold: supra* , quia omnis censuarius debet pensionem ob interusurium pecuniæ à censuista ei traditæ , sed hoc interusurium incipit à die constituti census & dividitur pro divisione temporis , potest enim solus censuarius ab initio uti , & per totum decursum temporis lucrari illis pecuniis ; est autem iniquum , ut ex re censuistæ ditescat cum hujus jactura ; quia *Locupletari non debet aliquis cum alterius jactura* , Regul. 48. Juris in 6. Et L. 10. ff. *Mandati* dicitur : *Bonæ fidei hoc convenit , ne de alieno lucrum sentiat* , ergo dicendum est , quòd pensio habeat eandem divisionem temporis , ergo currit & cadit censuistæ cum lapsu temporis , & consequenter hæredi Titii debebitur pro rata temporis.

Hæc secunda sententia videtur æquior & probabilior : nec rationes oppositæ urgent ; nam *prima* manifestè retorquetur in pensione Clerici mortui , quæ etiam personalis est &c , & tamen pro rata temporis solvenda est hæredi. Itaque dico cum Castrop. & Haunoldo , quòd *ex conventionem partium solutio actualis non debeat ante finem anni , revera tamen debitum solvendi contrahitur secundum lapsum temporis*. Ad 2. Nego habere se velati usufructuarium , tum quia alioquin hæres pensionarii non gauderet pensione , nequidem totius anni decursi , si pensionarius eam ante mortem suam non percepisset vel exegisset ; tum maxime , quia ipse non utitur pecuniâ alienâ , & licet uteretur , id non fieret *salvâ pecuniæ substantiâ* , ergo non est usufructuarius : imò in pecunia (per se

se loquendo) constitui non potest usu-fructus, cum pecunia sui usu consumatur, *Less. L. 2. c. 3. n. 17. Laym. Lib. 3. Tract. 1. c. 6. N. 2. Ad 3.* Abstraho ab alia fortasse alicubi consuetudine; nec inquirō, an hæc sit iusta vel iniusta, sed tantum resolvi, quid debeat fieri spectato jure communi & naturâ hujus contractûs; si enim quis sciat aliam esse praxin alicubi, & nihilominus det ad censum vitalitium, resignat suo juri: de cætero etiam sunt, qui contrarium practi- cant, & interrogati Juris-Consulti in Dicecesi Monasteriensi dixerunt id, quod dixi, & negarunt se scire aliquid de contraria consuetudine. Itaque consultum est, ut dum initur contractus, exprimat, quid circa hoc fieri debeat post mortem censuistæ, ut sic occurratur huic dubio.

§. 17. Quamvis nescias modum contrahendi per censum vel alium contractum licitum, si tamen videas viros probos & prudentes passim contrahere hoc vel illo modo, & velis contrahere modo optimo, si modus sit, quo excusantur alii, etiam tu excusaberis, licet illum explicitè nescias, ita *Valent. Less. Laym. Tambur. aliique cum Sporer n. 27.* Ratio est, quia in his intentio implicita idem operatur quod expressa, uti Jura loquuntur: debet tamen etiam alter contrahens saltem virtualiter & implicitè consentire in istum alterum modum, uti diximus n. 144. Pro intelligendis melius & explicandis hîc dictis de contractu censûs, utile erit legere, quæ habentur in *Vind. Gobat. P. 2. Prop. 18.*

1024

Q. 192.

- 1025 Q. 192. Quenam pacta licite adjiciantur contractui census. R. Seqq §. 1. Censui reali licite adjicitur pactum commissorium, ut scilicet, si censuarius pensionem non solvat intra certos annos, res censui subjecta cadat in commissum, id est, fiat illius, qui emit censum, dummodo tres conditiones adfint, in primis quod venditor culpam suam non solverit, cum potuerit: deinde ut poena illa proportionetur culpae, nam pro parva pensione non soluta non potest praedium magni valoris cadere in commissum: denique ut pro onere talis pacti augeatur venditori pretium, ita *Tolet. Castrop. D. 6. P. 24. §. 5. Tambur. Lib. 9. T. 2. c. 4. §. 4. n. 1. Sporer T. 6. c. 6. N. 15.*
- 1026 §. 2. Licite additur etiam personali censui pactum rescissorium, ut scilicet venditor, si intra certos annos non solverit pensionem, teneatur emptori rescisso contractu, totum pretium restituere, neque ob hoc pactum opus est augeri pretium, *Medin. Castrop. Tambur. Sporer.*
- 1027 §. 3. Etiam licite additur pactum, ut non possit redimi per partes, sed tantum totus simul, *Sot. Ban. Tol. Less. Tamb. §. 6. Spor. Lugo D. 27. N. 15.* contra alios: nec ideo videtur remittendum de pretio, *Castrop. §. 2.*
- 1028 §. 4. Etiam licite additur pactum, ut non possit redimi, nisi in eadem praecise moneta, quae data est, sive valor ejus crescat sive decrescat, supposito quod quando census constituitur, sit aequale periculum incrementi ac decrementi, tum enim accedit novus contractus sortis, ita *Less. & Lugo n. 137. qui à n. 242. dicit etiam in simili casu addi posse pactum de non redimendo, nisi in eadem moneta, sed in majori vel minori Summa, juxta majorem vel minorem valorem, quem moneta illa tum habuerit. De pactis, quae censui addi possunt, videri*

videri possunt plura apud *Castrop.* toto p. 24. An autem addi possit pactum affecurationis, non tantum respectu sortis, sed etiam respectu lucri, vide dicta n. 876.

D V B I V M X.

Quid sit Cambium.

Resp. Cambium, quod permutationem signi-²⁰ 2029
ficat, hinc accipitur pro sola permutatione pe-²⁰
cuniæ: Et est contractus, quo Campsor aliquis²⁰
Campfario volenti cambit pecunias, cum lucro²⁰
aliquo præter sortem. Quod si sine intentione u-²⁰
suraria fiat, ob titulos justos tali lucro æstimabi-²⁰
les, patet non esse malum: Unde cum quatuor²⁰
sint Cambiorum genera, nimirum, 1. Cambium²⁰
minutum seu manuale, 2. Cambium per literas,²⁰
3. Cambium reale, 4. Cambium siccum seu fictum:²⁰
circa ea resolvuntur:²⁰

I. Licitum est Cambium minutum, in quo²⁰
dantur pecuniæ majores pro minoribus, vel²⁰
contrà, quia hinc sunt justi tituli aliquid lucrandi,²⁰
nimirum labor Campsoris in numeranda pecu-²⁰
nia; item diligentia in pecunia omnis generis²⁰
conquirenda, ut Campfariis quibusvis sit paratus;²⁰
item puritas materiæ & commoditas, ut cum²⁰
aurum vel alia moneta commoda datur pro mi-²⁰
nuta & incommoda. *Laym. l. 3. t. 4. c. 19. num. 4.*²⁰

II. Licitum est item Cambium per literas,²⁰
cum scilicet Campsor hinc v. g. Monasterii, prior²⁰
accipit pecunias, quas postea litteris datis alibi,²⁰
v. g. Francofurti, refundit per suos factores:²⁰
quia hinc etiam sunt justi tituli, scilicet, virtualis²⁰
trajectio pecuniæ, & ejus affecuratio; tantun-²⁰

dem enim facis, ac si Campsario pecuniam eius
 Francofurtum transferas sine periculo. Minus
 tamen Campsor exigere debet, quàm si realiter
 transtulisset. *Lay. l. c. Bonac. d. 3. q. 5. p. un. num. 7.*
Nav. man. c. 17. n. 283. Less. l. 2. c. 23. d. 3. &c.

III. Item licitum est Cambium reale, cum
 Campsor hìc Monasterii prior dat pecunias, ut
 per suos alibi eas recipiat à Campsario, qui alibi
 habet pecunias, sed eget nunc eis hìc. Titulus hu-
 jus Cambii est item translationis & asscuratio-
 nis; tantundem enim facit Campsor, ac si pecuni-
 as Campsarii absentes sisteret hìc præsentes, vel
 ut alii ajunt, ac si præsenti pecuniâ emeret absen-
 tem, quæ utique minus valet. *Laym. num. 6. & 7.*
Bon. l. c.

IV. Illicitum est Cambium fictum seu ficcum,
 quod nihil aliud est, quàm titulus lucrandi; ut
 v. g. Titius indigens pecuniis petit à Campfore
 sibi dari 100. Campsor autem non aliter dat, nisi
 Francofurti, v. g. vel alio loco distante solvendo,
 petitque ab eo pretium, quod solet dari pro locis
 similibus: Titius ergo accipit, & tamen verè non
 cogitat reddere in istis locis, imò forsan nec ha-
 bet istic correspondentem, idque constat Cam-
 psori: contractus hic est Cambium fictum, ac re-
 vera mutuum, ideoque palliata usura. Excusabi-
 tur tamen Campsor, si lucrum illud exigat titulo
 lucri cessantis. Plura vide apud *Tol. l. 5. cap. 52.*
Bon. n. 2.

V. Quod attinet ad Cambium Francofurten-
 se, in quo mercatores dantes Cambium ad pro-
 ximas nundinas, quò magis eæ distant, eò plùs
 exigunt, si ideo præcisè plùs exigatur, quia solutio
 diutiùs differtur, usura est: si autem ratione alte-
 rius

rius tituli iusti, v. g. lucri cessantis, cum pecunia²⁰
mercatorum fit instrumentum lucrandi, quo si²⁰
diutius carent, carent lucro, & quò longius est²⁰
tempus, eò plures cambium petunt, ideoque cre-²⁰
scit valor pecuniæ, tunc lucrum est iustum. *Laym.*²⁰
*n. 9. ex Mol. to. 2. d. 404. n. 10. § 11. Less. d. 6. § c.*²⁰

VI. Qui cambiando, (vel aliter) pecuniam²⁰
adulterinam accepit, five ex ignorantia aut in-²⁰
advertentia, non potest illam expendere, quia res²⁰
vitiosa non potest tradi alteri, vitio non detecto.²⁰
V. supra de vendit. Neque ex eo, quò ipse deceptus²⁰
est, potest decipere alios, cum actio, quâ deceptus²⁰
fuit, nullum ad hoc jus tribuat. *Bon. n. 4. ex Azor,*²⁰
*Sanch. § c.*²⁰

A D D E N D A.

Q. 193. Quid circa cambium sit præterea notan- 1030
dum. *R.* Seqq. §. 1. Cambium est contractus, in
quo permutatur pecunia pro pecunia, cum lucro
illius, qui in alterius gratiam permutat. Differt à
mutuo, 1. Quia cambium fit tantum in pecuniis;
mutuum etiam in aliis rebus. 2. Quia in cambio
intervenit aliqua diversitas, vel quoad pecuniam,
vel quoad locum; in mutuo potest eadem res &
eodem loco reddi. 3. Quia cambium non perfici-
tur, nisi factâ utrimque traditione pecuniæ, quæ
etiam eodem tempore fieri potest; in mutuo tradi-
tur res, alio tempore reddenda. Illud cambiũ pro-
priè dicitur manuale, quod fit eodem loco & tem-
pore, nempe statim de manu in manum. Ad cam-
bium minutum refertur, si pro pecunia dubia vel
non ubiq; recepta detur certa vel ubiq; aut saltem
hoc loco recepta. Cambium per literas aliter vo-
catur cambium ad locum, quia campsor non dat

Rr 2

pecu-

pecunias in loco, in quo est, sed per literas assignat ad alium locum; cambium autem reale dicitur cambium in loco, quia campfor ibi, ubi est, dat pecunias. Si Campfor simul exercent negotiationem cum suis & alienis pecuniis, quas conservat, dicitur trapezita, nummularius, mensularius vel argentarius.

1031 §. 2. Justum pretium cambii est illud, quod legel vel consuetudine vel communi hominum proborum æstimatione taxatur, spectatâ vilitate monetæ permutandæ, loci distantia, periculo viarum, copia vel penuria pecuniarum aut Mercatorum in aliquo loco. Potest autem pro traiectione pecuniæ accipi pretium communiter taxatum, etiam si ipsa traiectione sit aliunde utilis Campfori, v. g. quia hic accipit suam pecuniam loco illius, quam habet Francofurti, nam ad hoc, ut communis aliqua æstimatione imponi possit & pretium accipi, sufficit, quod talis traiectione pecuniæ sit plerisque incommoda, nunc autem fiat in gratiam Campforii, ita *Cajet. Mol. Bonac. Less. Spor. t. 6. c. 6. n. 40.* quod his similibus confirmatur, nam si bajulum conduxisses, qui pecunias tuas ferret Francofurtum, si hic aliquem reperiret, qui nomine suo illas tibi solveret Francofurti, posset idem pretium condictionis accipere, ac si re ipsa transtulisset, *Less. l. 2. c. 23. n. 20.* Item sicut si conduxisses Titium, ut equum tuum duceret Francofurtum, quamvis ex alia causa eò proficisci vellet, foretque illi nunc commodissimum uti tuo equo, posset acceptare pretium, de quo tecum contraxisset, ita & hic, *Laym. l. 3. t. 4. c. 19. n. 6. Less. n. 32.* Non posse tamen campforem tantum exigere, quantum exigeret bajulus re ipsa transferens, aut qui transferendi obligat-

obligationem suscepisset, probat rectè *Less. in Auct. V. Cambium. cas. 2.*

§. 3. Aliqui ad justitiam cambii requirunt omnes conditiones, quas *Pius V. in Bulla, In eam*, requirit, nempe 1. Ne concedatur alteri pecunia solvenda in loco, in quo nullam habet aut habere potest, cum præsumptione recipiendi eam in loco, in quo eam concessit. 2. Ne pactum fiat de certo interesse lucri cessantis aut damni emergentis solvendo à Campsario, si non solverit statuto tempore. 3. Ne ob protractum vel remotiorem terminum solvendi liceat plus exigere. 4. Ut in terminis solutionum constituendis habeatur ratio longinquitatis & vicinitatis locorum, ad quos solutio destinatur: sed cùm ea Bulla vix ullibi sit usu recepta, communiter censetur non obligare, uti notant *Salas, Lugo d. 28. num. 107. Steph. t. 4. d. 9. n. 133.* hinc DD. non damnant eos, qui non observant, inquit *Less. l. 2. c. 25. num. 33.*, eò quòd constitutio illa recepta non fuerit: itaque videndum est, quid jus naturæ requirat.

§. 4. Si Titius Campsor bonâ fide det tibi hic 100. florenos, & tu spondeas solutionem Francofurti, quia tamen ibi nec pecuniam nec notum habes, Titius pro te agat apud suum Factorem Francofurti, ut ille Titius nomine tuo per cambiales solvat illos 100, hic contractus dicitur cambium cum recambio seu cum recurso; ab aliis vocatur Vesuntinum à Vesuntio Urbe in Burgundia; ab aliis Placentinum à Placentia Italiæ urbe, eò quòd putetur istis locis primò celebratum; in hoc contractu Campsarius patitur onus duplicis cambii, Campsor autem refert duplex lucrum, & hunc contractum velut licitum defendunt *Sot. Me-*

rend. Comitulus, Mol. t. 2. d. 404. n. 13, putatque Haun. num. 395. cohonestari posse, si certo modo instituat: sed pro praxi rejiciendus est velut purum mutuum & palliata usura, uti rectè Less. Nav. Lugo num. 98. Diana p. 1. t. 8. R. 1. & p. 9. t. 8. R. 67. Burgh. cent. 3. cas. 36. Spor. autem n. 44. vocat rem diabolicam, quia re ipsa est duplex cambium fictum.

1034 §. 5. Cambium Francofurtense etiam per hoc excusatur ab aliquibus, quòd tempore propinquo nundinis fit copia pecuniarum, adeoque multitudo Campforum faciat cambium vilius, è contrà tempore remotiore est minor copia, unde cum talis pecunia habeat se per modum mercis, pretium ejus augebitur ex penuria venditorum & minuetur ex copia: ita innuunt Cajet. Med. Tol. Sa, Salas cum Castrop. d. 7. p. 7. n. 3. Laym. num. 9. Lessio n. 35.

1035 §. 6. Notant Less. à n. 34. Laym. n. 8. aliique communiter, non esse injustum, si campfor, præter ordinarium pretium cambii, quærat lucrum ratione majoris valoris pecuniæ in uno loco, quàm in alio, uti si hîc, ubi multùm valent ducati, numeret 94. ducatos, & postea in Italia, ubi minùs valent, recipiat 100. quamvis cum illis ex Italia iterum huc negotiando aliud lucrum reportet, hæc enim spectant ad industriam.

1036 §. 7. Si Titius det famulo meliores pecunias Creditori solvendas, famulus autem commutet illas vilioribus, quibus cum lucro suo solvat, secundùm dicta p. 1. num. 1045. non peccat saltem graviter, quamvis faceret sine præsumpto consensu domini, uti habet communior contra Castrop. d. 7. p. 3. communiter tamen peccabit venialiter

nialiter contra fidelitatem & observantiam, debitam Domino. Quòd si Titius expressè mandasset tradi easdem pecunias, aut si poterat plus obtinere à Creditore quàm solutionem debiti, aut si ipse voluisset sibi reservari pretium cambii, si permutarentur &c. posset peccare famulus graviter & teneri restituere, uti cum communi *7lls. t. 4. d. 2. num. 452.*; similiter si famulus à Titio destinatus fuisset, ut reciperet pecunias ab aliquo nomine ipsius Titii, famulus non posset eas permutare, quia hoc ipso quòd traderentur famulo, Titius acquireret jus ad illas, quale tamen jus non acquisiverat creditor, cui solvendum erat à famulo, *Laym. n. 5.*

§. 8. Civis licitum est cambiare seclusâ prohibitione Magistratûs; contra quam si quis cambiet, *Sot.* dicit fore mortale, sed meritò negant *Mol. Less. Laym. Tamb. Sporer num. 44.* nisi fortè cederet in grave damnum Reip. v. g. si per hoc bonæ monetæ extra Provinciam extraherentur & malæ importarentur, alioquin ad summum erit inobedientia levis. 1037.

D V B I V M XI.

Quid Locatio, & Conductio.

Resp. Est contractus, quo quis personam, vel rem aliquam mobilem, vel immobilem alteri ad tempus utendam, vel fruendam concedit, certo pretio aut mercede, seu pensione constitutâ. Utenda conceduntur, v. g. elocata domus, equus, servus, &c. Fruenda conceduntur, elocata

R r 4

vacca,

vacca, capra, fundus, pomarium, &c. Unde consideratâ hujus contractûs naturâ, & juris dispositione, resolvuntur sequentes Casus.

I. Si res locata ante traditionem pereat, contractus dissolvitur, & conductor liberatur.

II. Si absque culpa conductoris, usus vel fructus rei cesset, v. g. quia domus ruinam minatur, infestatur spectris, vel ob periculum pestis (nisi tamen quoad hoc consuetudo fit contraria) aut belli, tutam habitationem non præstat, liberatur conductor à solvenda pensione pro tempore, quo non potest inhabitare, vel aliâ re conductâ uti vel frui, ut v. apud Lay. l. 3. tr. 4. c. 22. n. 3. Less. l. 2. c. 24. d. 2.

III. Servo, aut laboratori conducto non debetur stipendium temporis notabilis, quo æger decubuit; nec ægro, nisi expensæ modicæ: nisi tamen aliter fit conventum, aut consuetudo ferat. V. Sa, V. Conductio.

IV. Propter modicum damnum, vel infortunium, nihil remittitur colono de pensione: secus, si magna sit clades. Quod si tamen antecedentium vel sequentium annorum fertilitate damnum compensetur, non remittitur, Lay. n. 7. Less. d. 3.

V. Si pluribus annis ob cœli clementiam (secus si ob industriam colentis) uberiores fructus ex fundo elocato proveniant, potest colono pensio augeri. Laym. n. 8.

VI. Expensas in rem conductam, quæ duraturæ sunt, v. g. conservare facta tecta, tributa & onera publica præstare, ad locatorem seu dominum spectat; nisi aliter conventum sit, aut consuetudo ferat. Laym. n. 4.

VII.

VII. Si Conductor in rem conductam neces-
sarias, sive utiles expensas fecerit, potest eas de
pensione detrahere, vel repetere à locatore; &
dum non solvuntur, retinere rem conductam,
Laym. loc. cit. Mol. Disp. 496.

VIII. Et si incendium plerumque accidat culpâ
inhabitantium, & sic in dubio contra illos præ-
sumptio sit; quia tamen sæpe id fit culpâ famulo-
rum, quam Pater-familias præstare non cogitur,
hinc conductor absolvendus est, nisi Locator
ostendat culpam. *V. Laym. supra n. 6. & Dian. P.*
9. T. 7. R. 31. ubi ex Hun. & Berl. docet, si constet
accidisse culpâ certi & determinati alicujus de fa-
milia, isque circa officium suum deliquerit, ut
v. g. stabularii, qui lumen malè custodièrit in sta-
bulo, teneri patrem-familias (nisi famulus iste
pro fideli ac diligenti fuerit habitus) de damno:
secus, si culpa alterius; vel si non constet, utrum
casu an culpa cujusquam acciderit.

IX. Si conductor domûs, v. g. ante tempus velit
emigrare, id quidem licet, potestque alteri loca-
re; ceteroquin autem de pensione nihil ei remit-
titur.

X. Locator non potest ante tempus præfinitum
conductorem invitum privare re conductâ, nisi
in his casibus, 1. Si pensionem non solvat: exspe-
ctare tamen debet biennium, si ultra biennium
res sit conductâ. 2. Si casus improvisus accidat,
ob quem domus, v. g. ipsi Domino necessaria sit.
3. Si rem locatam reficere necesse sit, nec possit
fieri altero inhabitante. 4. Si conductor in re con-
ductâ malè versetur, v. g. destruat, vel abutatur,
ut alendo ibi meretrices, *Laym. num. 9.*

» XI. Successor universalis, sive hæres non potest
 » ante completum tempus conductorem expelle-
 » re; partialis autem successor, ut emptor, donata-
 » rius, legatarius &c. non tenetur stare contractu
 » locationis, uti neque conductor; nisi tamen aliter
 » pactum sit, v. g. ne res locata durante tempore
 » locationis alienetur. *Vid. Less. num. 37. & 38. &*
 » *Laym. num. 10.*

A D D E N D A.

1039 Q. 194. *Quid præterea sit notandum circa hos con-*
tractus. Rl. Seqq. §. 1. Locatio & conductio habent
se ad invicem, uti emptio & venditio, nam uti
emens est ille, qui dat pretium & accipit mercem,
vendens autem, qui dat mercem & accipit preti-
um; nec potest esse emens, nisi sit vendens, & vice
versâ, imò emptio & venditio faciunt unum con-
tractum, qui sub diverso respectu dicitur emptio
aut venditio; ita etiam locator, qui dat utendum
pro pretio, conductor, qui dat pretium pro usu,
nec potest esse locator, nisi sit conductor & vice
versâ, imò locatio & conductio faciunt simili mo-
do unum contractum. Ad locationem & condu-
ctionem spectant contractus, per quos Medici,
Chirurgi, Magistri, Famuli, Ancillæ, Mercenarii
diurni, operas vel labores suos elocant.

1040 §. 2. Pretium propriè datur pro usu rei mobilis,
 merces pro labore, opera vel obsequio hominis
 conducti, pensio pro Jure concesso utendi vel fru-
 endi re immobili: debent autem hæc solvi in pecu-
 nia, alioquin erit contractus innominatus, ideòq;
 non potest locator cogi, ut acceptet, vel condu-
 ctor, ut solvat res alias præterquam pecuniam, ita
 cum communi *Navar. Laym. Sporer T. 6. c. 7. N. 27.*

§. 3.

§. 3. Jure Cæsareo prohibetur, ne elocetur præ- 1041
 dium militi vel Curiali vel Clerico negotiandi
 causâ, quamvis hi possint succedere conductori :
 item ne domus scholæ vicina elocetur fabro vel
 alteri, per cujus pulsum aut tumultum impediatur
 doctio: *Bonacina* tamen dicit Magistrum ipsum de-
 bere reclamare: ita citatis Legibus *Sporer* n. 22. Ju-
 re Canonico prohibetur, ne prædium elocetur ul-
 tra triennium fertile seu utile conductori, uti ex-
 plicat *Fill. T. 44. c. 2. N. 8.* dicens, si alternis tantum
 annis sit fertilis, posse elocari ad annos sex, si tertio
 anno, ad novem. Praxis tamen in multis locis ha-
 bet, ut elocetur ad annos duodecim, cum clausula,
 ut utrique parti liberum sit post lapsum medii
 temporis à contractu desistere, nemo enim agros
 fertiles ad tres vel quatuor annos conducet, cum
 intra id tempus expensas in meliorando faciendas
 recipere non possit.

§. 4. Cap. 1. de *Usuris*, in 6. prohibetur, ne domus 1042
 elocetur publico usurario, sed Textus loquitur de
 usurario alienigena sive aliunde oriundo, uti cum
 communi notat etiam *Beja P. 1. Cas. 27.* Similiter
Navar. dicit illicitum esse elocare domos meretri-
 cibus; alii dicunt saltem illicitum esse elocare in
 ea parte urbis, in qua non permittuntur habitare,
 sed *Maj. & Beja* suprâ tenent oppositum, quia
 illa locatio proximè tendit ad dandam habitatio-
 nem, remotè autem tantum dat occasionem pec-
 cati.

§. 5. Conductor (nisi aliter sit conventum) po- 1043
 test rem sibi locatam alteri elocare, qui primo
 conductori tenebitur pensionem solvere, primus
 autem conductor primo locatori, *L. Nemo. 6. Cod.*
De locato.

§. 6.

1044 §.6. Si Titius pauper obtinuerit Jus mendicandi in urbe, *Sanch.* in *Consil.* L. 1. c. 7. Dub. 2. dicit eum posse pro certa pensione hoc Jus elocare alteri nō pauperi; *Lugo* D. 29. N. 9. negat id licere, quia fieret fraus populo, qui eleemosynam daret non pauperi, *Sporer* num. 23. respondet pro *Sanch.* adhuc dari pauperi mediata, quia datur conductori inde solventi pensionem, nam id secundum omnes liceret, si pauper æger per alium divitem eleemosynam peteret: est tamen in hoc aliqua disparitas, nam hic dives petit nomine pauperis, qui etiam fruetur, ergo datur Pauperi, conductor autem ille petit nomine suo ex vi Juris sibi empti ad petendum, ergo re ipsa videtur dari ipsi conductori, non pauperi, hinc sententia *Lugo* videtur probabilior.

1045 §.7. Nuncius mercede conductus à Cajo, ut *Coloniam* eat, potest re dissimulatâ finire se ab alio conduci ad eundem locum, acceptâ ab utroque integrâ & sic duplicatâ mercede, *Less.* L. 2. c. 24. N. 8. *Spor.* n. 39, & non improbable dicunt *Lay.* L. 3. T. 4. c. 19. N. 7. *Castrop.* D. 7. P. 4. N. 1 Ratio est, quia opera illa, quam spondet & præstabit secundo, est digna ista mercede, per accidens autem est, etiam fuisse præstandam priori, nam ita obligat se singulis in solidum, ut quamvis unus deficeret, tamen alteri eam totam esset præstiturus, & ex eo, quod præstet pluribus, non minus præstat singulis, ergo etiam ex eo non debet minui æstimatio illius operæ. *Conf.* Nam si propter negotia propria statuisset ire *Coloniam*, & superveniret, qui conduceret ad tale iter, utique posset re dissimulata acceptare mercedem, ergo etiam nunc: consequenter & potiori Jure *Auriga* *Coloniam* conductus, quamvis mercedem petierit tanquam rediturus vacuus, tamen si
ibi

ibi vel in via inveniatur revehendos, potest cum priori mercede etiam hæc lucra acceptare, quia illa opera erat digna ista mercede, maximè cum adesset periculum redeundi vacuo curru, casui autem vel ejus industriæ assignandum est hoc alterum lucrum.

§. 8. *Pupillus* vel *Minor* tenetur stare locatione sui Tutoris vel Curatoris, *Abbas* aut *Beneficiarius* sui Prædecessoris, *Uxor* mariti mortui, *Panormit.* aliique cum *Lugo* à num. 23, quia quilibet tenetur ea rata habere, quæ facta sunt à suo legitimo Administratore. Hinc docet *Castrop.* D. 9. P. 18. N. 7. uxorem etiam teneri stare conductione per maritum factâ & necdum completâ, quia Jura statuunt, ut hæres perficiat negotium à defuncto inchoatum & nondum finitum.

§. 9. *Successor*, etiam particularis, non potest expellere conductorem cum gravi ejus incommodo, v.g. ab agro conducto jam seminato, sed expectare debet, donec fructus collegerit, iniquum enim esset, eum post labores & sumptus adhibitos pati eam jacturam, ita cum aliis *Sporer* num. 34. E contra tamen potest conductor talis semper renunciare conductioni cum Legatario, cum Donatario, cum Emptore, quia his se non obligavit, sed Antecessori.

§. 10. *Locator* tenetur aperire vitia rei locatæ, uti à n. 248 dictum est de venditore, alioquin tenetur de damnis secutis, quia obligatur tradere rem utilem ad usum à conductore intentos, ita cum aliis *Bonac.* de Contract. D. 3. Q. 7. P. 2.

§. 11. Spectato Jure Naturæ deberet conductor ferre omnes casus fortuitos, etiam sterilitatis, uti notant *Mol. Less.* *Lugo* n. 36, non aliter ac emptor fert casus mercis, tanti enim valebat spes fructuum cum

cùm res locaretur; nihilominus ex benignitate Juris introductum est, ut quandoque remittatur aliquid; dubitatur autem, quænam dicatur magna clades, ob quam remitti debet saltem pars pensionis, *Bartol. Covar. Less. n. 17. Lugo n. 43.* dicunt tum esse, si deducto semine aliisque impensis nè dimidium quidem solvendæ pensionis superfit; *Abb. & alii*, si colonus vix colligat tertiam partem soliti, v. g. vix 5, cùm aliàs soleret 15; *Navar. & alii*, si vix colligat duas tertias, v. g. vix 10, cùm soleret 15; verùm rectè monent *Laym. & alii* in hoc attendendum esse communem usum cujusvis Patriæ. Duo addit *Lessius* num. 18. & 14: nempe si fructus jam collecti casu pereant, antequam commodè potuerint invehi, remittendum esse de pensione, non aliter ac si fuisset sterilitas, limitant *Mol. & Lugo* num. 48, nisi ubertas proximorum annorum id compenset, L. 8. Cod. hoc tit. *Stryck. S. 2. c. 9. N. 25.* Deinde colono partiario, qui aliquotam partem fructuum, v. g. tertiam pendere debet, nihil remitti ob anni sterilitatem, uti habet *Gloss. Abb. Navar.* aliique cum *Sporer* num. 53, quia hinc tanquam in contractu societatis tenetur damnum & lucrum cum domino fundi dividere. Etiam notant omnes communiter cum *Bart. Less. Lugo n. 52. Illung T. 4. D. 2. N. 459*, quamvis aliquando fit maxima ubertas fructuum, totam utilitatem esse conductoris, nam L. *Si merces. ff. Locati*, dicitur conductori immodicum lucrum non auferri, & ratio est, quia sterilitas fuisset ipsi damnum intolerabile, ubertas autem nemini nocet. Denique notat *Stryck. §. 20.* ob damnum fructibus jam investis illatum nihil remitti conductori, *Argum. L. 12. Cod. hoc tit.*

§. 12. Si impedimentum utendi re vel personâ 1050
 conductâ oriatur ex parte conductoris, etiam involuntariè, uti quia est infirmus vel incarceratus, non potuit colere agrum, aut mercenario conducto laborem assignare, adhuc, per se loquendo, tenetur totam pensionem vel mercedem solvere, quantum interest locatoris, ita ex Jure *Mol. Navar. Less. Laym. Lugo* n. 27. Ratio est, quia tum non stat per locatorem vel rem locatam, sed per solum conductorè, quò minùs habeatur usus vel fructus. *Nec refert*, quòd conductor fit sinè culpa: *Nam æquius fuit*, ut hoc in se onus sumeret conductor præ locatore, qui etiam est sinè culpa. Dixi, *quatenus interest*, nam si res vel opera alteri est locata sinè damno locatoris vel conducti, ad nil tenetur, cum nullum damnum sit causatum. Quòd si alteri locata plus lucri attulit, hic excessus spectat ad locatorem, si conductor rem à se abdicaverat, uti communiter fieri solet; si tamen retinisset animum ea postea utendi, ad eum spectaret etiam ille excessus, *Lugo* num. 30. *Sporer* num. 49. Addit *Lessius* num. 9. locatorem, quamvis non locet alteri, debere remittere de pensione, propter libertatem, quam conductor ipsi relinquit locandi alteri; negat tamen hoc *Tambur.* dicens deberi totam, eò quòd libertas ista sit parum utilis, & pensio, per se loquendo, certò debeat tota; *Mol. & Sporer* suprà meliùs dicunt deberi totam, nisi conductor de aliqua parte ideo remittenda paciscatur. Quòd si famulus conductus ad servitium annuum ægrotet, v. g. trimestri, non tenetur anno evolutò id supplere, uti cum communi *Lugo* num. 61. *Nec* ideo posse ei aliquid detrahi de stipendio docent *S. Antonin. Innoc. Graff.* aliique multi apud *Lugo* num. 58. Oppositum tamen

men tenent *Covar. Silvest. Mol. Laym. Barbof. Lugo* aliique plures ; sed spectanda est consuetudo locorum : probabilius autem videtur Dominos non teneri ad speciales sumptus pro curatione, uti rectè *Rebel. & Lugo num. 60.*

1051 §. 13. Fructus rei locatæ, v. g. agri, si sint adhuc pendentes, spectant ad dominum rei locatæ, quia sunt adhuc pars rei, aut faciunt quid unum cum ea, hinc si Laicus emat fructus pendentes prædii Ecclesiastici vel Religiosi, non tenetur pro eis solvere gabellas, *Diana P. 3. T. 1. R. 19.* E contra, fructus jam separati à fundo & à conductore collecti sunt ipsius, etiamsi is pensionem necdum solverit, *Mol. Lugo n. 26. Tamb. de Contract. L. 9. T. 4. c. 3. n. 5. Sperer n. 25.* aliique contra *Gloss. Bart. Barb. & alios.* Ratio est, quia quamvis manerent hypothecari aut veluti in pignus tacite subjecti pro pensione, tamen ex vi contractus habet conductor Jus fruendi re, ergo faciendi fructus suos etiam ante solutam pensionem, ideoque rectè dicit *Diana* supra, colonos Ecclesiasticorum vel Religiosorum teneri solvere gabellam ex fructibus collectis, si eos alienent, nam collecti spectabant ad Laicos.

1052 §. 14. Expensæ necessariæ ad conservandam substantiam rei locatæ, nisi pactum vel consuetudo obstet, spectant ad locatorem, v. g. ut reparentur fenestræ, fornax, puteus, ut in agro fiant fossæ, aggeres, ut viæ ante domos pro communi bono sternantur, ut equus instruatur soleis, vel extraordinario medicamento curetur, si sit infirmus. Ratio est, quia locator tenetur rem facere aptam usui conductoris, aut (si aptitudinem amiserit) eandem reddere, nam ad hoc accepit pretium, ut ei usum procuret : modicæ tamen & ordinariæ expensæ

expensæ necessariæ ad hoc, ut res conducta conser-
vetur, v.g. à militibus vel ab incendio, spectant ad
conductorem, *Tamb. Spor. n. 37*: ad magnas autem
& extra ordinarias non censetur se obligasse con-
ductor, unde si has omittat, res Domino perit.
Quòd si initio conductionis fecit notabiles expen-
sas in melioramenta, sperans se, v.g. saltem post
4. annos recepturum eorum fructum, & locatio
casu citius finiatur, æquum est conductori com-
pensari has expensas, uti rectè *Lugo num. 70*; si au-
tem expensæ fuerint merè voluntariæ vel ad or-
natum, has ferre debet conductor, nisi locator in
eas saltem tacitè consenserit; si tamen essent mul-
tùm utiles locatori, & redderent rem notabiliter
melioratam, uti si pro ambulacris plantasset arbo-
res fructiferas, & expensæ illæ factæ sint de volun-
tate saltem tacita locatoris, nec nimis graves, do-
cent *Mol. & Lugo n. 68*. spectare ad locatorem, &
hoc est conforme dictis num. 226.

§. 15. Si locator obliget conductorem ad melio-
randam rem conductam, neque ideo ostendat se
detrahere de pensione, putat *Mol.* id fieri debere
sumptibus locatoris, quia melioratio cedit in per-
petuam locatoris utilitatem, qui autem sentit
commodum, par est, ut sentiat onus. E contra *Lugo*
n. 69. aliique dicunt, hoc ipso quòd conductor
obligaverit se ad meliorationem, etiam suscepisse
onus expensarum, si nihil additum sit vel exce-
ptum, sicuti qui obligat se ad pensionem solven-
dam Francofurti, obligat se ad sumptus ad hoc
necessarios.

§. 16. Potest fieri pactum, sed cum diminutione
pensionis, ut conductor omne periculum in se su-
mat & affecuret locatorem de omnibus damnis,

Tom. III.

Ss

vel

uti tenent *Nav. Az. Lugo* n. 73. contra *Sot* ; & tum tenebitur conductor de omni etiam fortuito casu, maximè si faciat contra vel præter conditiones pacti, v. g. si additum erat, ut fœnum non inferretur domui, si fœnum illatum est, & domus ob fœnum casu planè fortuito conflagravit, tenetur de hoc damno ; item si pactum erat, ut equum haberet usque Coloniam, ipse autem ducit ulterius, & ibi planè casu capitur, etiam de hoc damno tenetur, quia egit contra vel ultra pacta, ita ex *Juribus Sporer* num. 42.

1055 §. 17. Si conductor privetur re conductâ, quia non potest solvere pensiones, remitti debet ei pensio sequentis temporis ; si autem ideo privetur, quia malè versatur in re conductâ, tenetur solvere pensionem temporis sequentis usque ad terminum locationis, *Less.* num. 38. *Sporer* n. 30. Quod tamen limitat *Lugo* n. 15. nisi locatori adhuc fuerit liberum retinere conductorem, quia tum videtur sponte recedere à contractu ; tenebitur tamen conductor compensare damna vitio suo secuta, inter quæ erit lucrum pensionis, nisi res statim æquè utiliter locari possit alteri.

1056 §. 18. Quid dicendum sit in dubio, an res periêrit casu, an ex culpa conductoris, videri possunt dicta num. 183. & 573. In dubio autem, an conductor pensionem solverit, adhuc tenetur secundùm dicta num. 571, quia locator est in possessione crediti contra ipsum, attamen *L. Quicumque, Cod. de Apochis publicis*, expressè statuitur, ut si quis ostendat se tribus annis proximis solvisse, in dubio præsumatur etiam antea semper solvisse, nisi clarè probetur oppositum.

DUBI-

D V B I V M XII.

De contractu Emphyteusis, Feudi
& Libelli.

Resp. 1. Emphyteusis est contractus similis locationi, in quo res immobilis, quæ culturâ possit effici melior, conceditur alteri, vel in perpetuum, vel non brevius saltem, quàm ad decennium; ita ut dominium ejus directum, & possessio civilis maneat apud Dominum, qui dat in Emphyteusin; dominium autem utile transferatur in Emphyteutam, cum hoc onere, ut quotannis certum Canonem, ut vocant, seu pensionem Domino solvat; quam si totam solvere negligat viginti sex annis continuis in Emphyteusi Ecclesiastica, (cùm scilicet res est Ecclesiæ, vel pii loci) vel in sæculari 36. annis, incidit ipso Jure in pœnam commissi, ut dominus eum expellere possit, etsi de solutione interpellatus non fuerit: licet enim *Bartol. & alii* quidam apud *Dianam* P. 8. T. 7. R. 36. dicant, si per 30. vel 40 annos non solverit, eum præscribere immunitatem in futurum, id tamen *Wesembec. & alii* negant. *Vid loc. cit.* Porro quid Juris sit in hoc contractu, pendet ex consuetudine locorum, quæ varia est, & ex ipsa conventionione contrahentium, quæ scripto instrumento concipi debet, ut valeat. *Vid. Laym. L. 3. T. 4. c. 23. Less. L. 2. c. 24. D. 9.*

Resp. 2. Feudum est contractus similis Emphyteusi, quo res immobilis alicui conceditur, cum translatione domini utilis, proprietate retentâ, sub onere, non quidem aliquid solvendi, sed exhibendi fidelitatem & obsequium personale directo Domino. Quod si item non faciat Vasallus

»(sic enim dicitur feudi acceptor) perdit feudum.
 »Interdum etiam in feudo aliquid persolvi debet,
 »in recognitionem dominii directi, sed tunc ex ea
 »parte deficit à puro feudo, & declinat ad Emphy-
 »teusin. Porrò quid Juris sit circa feuda, pendet
 »item à locorum consuetudine, quæ Juris com-
 »munis sunt. *Vid. AA. citatos. Resp. 3. Contractus*
 »libellaticus, sive datio ad libellum, dicitur, cum
 »Emphyteuta, vel feudatarius rem illam, quam
 »in feudum, vel Emphyteusin accipit; simi-
 »li contractu tradit tertio, (ad quod tamen, si in
 »decennium fiat, requiritur Domini consensus)
 »ita ut sit quasi sub-feudum & sub-emphyteusis.
 »*Less. D. 1. N. 6.*

A D D E N D A.

1058 Q. 195. *Quenam præterea sint hic notanda. R. Seqq.*
 §. 1. Emphyteusis græcè, latinè est implantatio,
 quia nempe olim terræ incultæ assignabantur co-
 lonis, qui implantabant & inferebant, concessio
 ipsis solo dominio utili, nunc autem sumitur pro
 concessione rei etiam cultæ. Differt à venditione,
 quòd per hanc, non autem per emphyteusin,
 transferatur dominium directum. Differt à loca-
 tione, 1. Quia locatio potest esse circa rem mobi-
 lem; emphyteusis circa immobilem tantum cul-
 turâ meliorandam. 2. Locatio conceditur etiam
 infra decennium; non emphyteusis. 3. Locatio
 nullum confert dominium, sed tantum Jus ad fru-
 ctus; emphyteusis dat dominium utile in re. 4. In
 emphyteusi solet minor pensio exigi quàm in lo-
 catione.

§. 2. Emphyteuta non potest rem emphyteuti- 1059
cam vendere, nisi cum consensu Domini directi ,
alioquin cadit in pœnam commissi, potestque, si
alienatio fit traditione perfecta, spoliari re emphy-
teuticâ & omnibus melioramentis ; titulo tamen
gratuito potest transferre , uti notat *Lugo* d. 29.
n. 89. v. g. donare, legare; item potest locare in-
fra decennium, servitutum in ea concedere, subji-
cere hypothecæ &c. Vide *Gasp. Roderic.* de ann.
redit. l. 2. q. 32. à n. 51. Quod si alienetur res
emphyteutica, Dominus directus debet novum
possessorem investire, pro quo accipit consuetum
honorarium, quod dici solet laudemium, eò
quod dominus *laudet* seu approbet translationem
factam, quod laudemium de jure non deberet ex-
cedere quinquagesimam partem æstimationis rei,
sed ex consuetudine potest esse trigesima aut vige-
sima aut etiam decima, uti habet *Less.* l. 2. c. 24. n.
57.

§. 3. Si vineam accepisti in emphyteusin, *Valasc.* 1060
putat te posse eradicare vites & fundum commu-
tare in agrum, qui utilior fit futurus, habes enim in
tuam utilitatem, ergo tibi est permittendum, quod
tibi utilius est & alteri non nocet : Econtrà *Mol.*
aliq; cum *Castrop.* d. 10. p. 5. probabilius id negant,
quia sic destrueres hanc emphyteusin tibi conces-
sam, quæ erat in cultura vinearum, & cogeres do-
minum ad instituendam novam emphyteusin.

§. 4. Quando emphyteuta tenetur ad magnam 1061
pensionem, debet ei remitti aliquid, si in fructibus
accedat grave damnum, uti habet communior
cum *Lugo* n. 88. contra *Castrop.* p. 7. n. 5. & *Strick.*
f. 2. c. 9. §. 41. est enim tum eadem ratio, quæ
de conductione, de qua dictum est n. 1052. Sed

si pensionem respectu fructuum valde modicam solvat tantum in recognitionem domini, nihil remittitur ob quamcunque cladem, *Spor. t. 6. c. 7. n. 54.* Quod si tota emphyteusis pereat, nulla debetur pensio, uti patet, si pars tantum pereat, ita ut maneat saltem octava, solvi debet aliquid, secundum illud apud Julium Clarum, *si perit totum, non debuit emphyteusin; si perit ex parte, nullam se liberat arte.* Si autem tota emphyteusis occupetur ab hostibus, *Mol. & alii* dicunt isto tempore deberi saltem aliquid, quia tales casus fortuiti spectant ad Emphyteutam, si velit jus retinere ad emphyteusin adhuc existentem: Negant tamen hoc *Clarus, Abb. Fas. Fach. Castrop. n. 7.* quia Emphyteuta tunc non possidet emphyteusin, ergo male cogeretur pro ea aliquid solvere.

1062 §. 5. Si Emphyteuta laicus ad triennium, vel Ecclesiasticus ad biennium continuum non solvat suum canonem, *Decius, Minsing. Mol. Laym. Tann.* aliique multi putant eum ipso facto amittere emphyteusin, quia leges verbis ad Emphyteutam & non ad Judicem directis dicunt, ut cadat jure suo; hinc inferunt multi apud *Castrop. p. 10. n. 1.* dominum posse propria autoritate ingredi rem emphyteuticam, maxime cum sit dominus illius, & eam civiliter possideat; *Castrop p. 8. n. 6.* dicit ad hoc, ut actu amittat, requiri & satis esse, quod dominus manifestet se vellet eum esse privatum, quia *L. 2. Cod. De jure emphyt.* expressè dicitur, *Cadat à jure suo, si Dominus velit.* Econtrà *Less. in Auct. V. Contractus, cas. 4.* dicit dominium illud utile non posse retrahi, nisi monitus absolutè neget ulterius solvere: *Fill. & Lugo n. 87.* dicunt praxin esse, ut semel admoneatur,

tur, & si statim solvat, purgat moram; si non solvat, cadit in commissum; hinc *Ang. Fach. Saa, Rebell. Burgh. cent. 2. cas. 67. & Castrop. ipse p. 10. n. 2. cum aliis Juristis, quos ibi, & p. 8. n. 3. citat, fatentur ad hoc, ut Dominus se in emphyteusim immittat, prærequiri auctoritatem Judicis, quia debet certum fieri, quòd culpa præcesserit, jam autem multæ causæ excusare possunt & purgare moram, uti ostendit Castrop. p. 8. n. 8. & p. 11. Leges autem, quæ videntur contrariæ, cum sint pœnales, benignè sunt interpretandæ, & rectè intelliguntur de privatione post sententiam saltem declaratoriam Judicis, maximè cum quandoque loquantur in futuro, uti ostendit Castrop. p. 8. n. 3.*

§. 6. Si Dominus ab Emphyteuta, qui privandus esset, recipiat aliquam pensionem sequentis temporis, censetur remittere caducitatem, quamvis protestetur se velle retinere jus expellendi, uti habet communis cum *Jason, Claro, Mol. Rebell. Fach.* tum enim fatetur solventem esse verum Emphyteutam, ergo vult illi manere jus emphyteusis: si autem recipiat pensionem antecedentis temporis, non ideo censetur remittere caducitatem, uti probabilius contra alios docet *Castrop. p. 12. n. 6.* per hoc enim tantum agnoscit habuisse jus, ob quod ex contractu manserit solvenda pensio. 1063

§. 7. Obsequium temporale, quod Vasallus præstare debet, (non sponte, sed si requiratur) dicitur homagium, id est, opus ab homine agendum. Hic Vasallus non potest feudum, nequidem titulo gratuito, alienare, nec inter proles dividere, nec gravare sine consensu Domini directi, qui nunquam tenetur consentire, uti *Jure Cæsareo* 1064

fareo cautum est apud *Clarum & Spor.* num. 68. potest tamen Vasallus relinquere feudum, quando volet, quia in ejus præcipuè favorem erat concessum, non item Emphyteuta, quia stare debet contractu usque ad annos completos. Mortuo Vasallo debet successor, Vasalli Domino; & mortuo Domino debet Vasallus successori Domini præstare juramentum & investiri intra annum & diem, alioquin cadit feudo, saltem post sententiam Judicis. Putant autem *Barrol. Jason, Tiraq.* aliique multi Emphyteutam & Vasallum gaudere privilegiis, quæ habet Dominus directus respectu talium bonorum, ideóque si Dominus sit, v. g. Ecclesiasticus, non deberi ex illis bonis tributa vel gabelas, etiam quando illa habet Emphyteuta aut Vasallus, quia Dominus Ecclesiasticus non teneretur, ergo nec ipse, qui quasi ejus nomine bona ista tenet. Econtrà *Mol. Less. Laym.* aliique cum *Castrop.* p. 2. id negant, quia ususfructus & dominium utile, quod habent, non est res Ecclesiæ vel Ecclesiastica, sed est res laici & laica, ergo non est, cur debeat frui privilegio Ecclesiastico.

1065 §. 8. Si Emphyteuta vel Vasallus reddat rem deteriore, tenetur compensare; imò graves DD. putant eos teneri rem meliorare, ideóque non posse pretium meliorationis repetere, si rem dimittant; sed *Rebell. Mol. Laym.* aliique cum *Castrop.* p. 5. probabiliùs negant teneri meliorare, nisi accesserit pactum, ideóque si dimittat, posse expensas meliorationis reposcere. An Emphyteuta vel Vasallus possit contra Dominum præscribere, dictum est n. 524.

Post

Post hæc scripta, submissa est mihi quæstio :

1066

An Domini Proprietarii v. g. in Diocesi Monasteriensi possint augere onera vel Canonem à rusticis originariis persolvendum, supra id, quod hæctenus rustici illi aut eorum Majores, aliquod prædium insidentes, soliti sunt persolvere. R. Constat ex dicendis hoc numero 1066, quem subdividam in sequentes paragraphos.

§. 1. Westphali ob rebelliones fuerunt à *Carolo Magno* subjecti absolutæ servituti quorundam Dominorum, qui fideles permanserant, ita ut rebelles illi nec suarum rerum nec suæ ipsorum essent domini, *Scaten* in *Histor. Westphal. Lib. 8. Fol. 522. & L. 10. Fol. 610. Stangesol* in opere chronol. *Circuli Westph. L. 2. Pag. 66.* Et si in tali servitute adhuc essent Westphali, possent Domini ipsis imponere quævis onera, semperque augere.

§. 2. Hodierna servitus Originariorum in Westphalia non est illa, quam induxit *Carolus Magnus*, nam 1. *Carolus*, postquam Westphali susceperunt Baptismum, restituit eos libertati, *Scaten* L. 7. F. 420. L. 8. Fol. 514. 521. & 523. *Adamus Bremensis* Lib. 1. c. 10. *Alb. Stadenfis & Cranzius* in *Metrop. ad ann. 788. Chytræus* Lib. 3. *Saxonix* fol. 73. 2. A dura exactione Dominorum eos liberavit etiam *Ludovicus Pius Caroli M. Filius*, *Scaten* L. 8. F. 523. L. 10. Fol. 658. *Lezenerus* in *vita Ludovici Pii* c. 2. P. 5. 3. Servitus Carolina reddebat Westphalos incapaces omnis domini, hoc autem non facit præsens servitus, nam si Originarii non delinquant, exturbari non possunt prædiis, sed quamdiu superest aliquis familiæ, debetur ei prædium. Deinde sunt domini aliquorum mobilium, & maximè eorum, quæ extraordinariè lucrantur. Si quis ob delictum exturbetur, tenentur Proprieta-

rii providere saltem de habitatione alibi. Itaque Proprietarii sunt nunc domini solius proprietatis, Rustici autem utilitatis.

§. 3. Originarii tales non sunt strictè servi, sed tantùm latè, uti cum communissima & cum certa sententia docet *Laym. L. 3. T. 1. C. 5. N. 11*, nam ab actibus legitimis non repelluntur, vendi non possunt directè in persona sua, aliqua sibi lucrari possunt; item nomine proprio possidere, donare, permutare, uti dictum est antè, & ex usu quotidiano consistat.

§. 4. Servitus Originariorum, quæ nunc est in Westphalia, non potest aliunde provenisse, quàm ex contractu quodam Emphyteutico olim inter Dominos & Majores Originariorum inito, per quem hi, vel certa prædia propria Dominorum acceptârint colenda, vel propria sua prædia suasque etiam & Posterorum personas Dominis transcripserint, simul cum onere certi servitii personalis & canonis suis temporibus præstandi; Domini autem se vicissim obligaverint ad eos regendos, tuendos ac relinquendos in possessione prædiorum, quamdiu superesset aliquis de familia & manerent fideles, uti notant AA. communiter cum *Laym. Lib. 3. T. 4. c. 23. n. 1*. Ratio est, quia servitus illa non est à *Carolo M.* uti §. 2. ostensum est: nec Domini Christiani suâ authoritate potuerunt imponere absolutam servitutem, uti omnes fatentur: nec probabiliter conjici potest, unde aliàs proveniret.

Si dicas, esse ex contractu aliquo saltem tacito, sed ita, ut Dominis maneat liberum augere Canonem, si prædium melioretur &c. *Contrà est* 1. Nam hoc est in quæstione, & purè dicitur, non probatur. 2. Nec hoc præsumi potest, quia fuisset deterere

rere

rere colonos à melioratione. 3. Ab antiquis temporibus non est ita observatum, sed planè oppositum, ergo saltem per cursum immemorialis temporis præscripserunt coloni immunitatem à solvendo plus, quàm antehac soliti sunt solvere. 4. Domini plerique in registris vel instrumentis scriptis inveniunt consignatum, quid coloni, determinatè hi vel illi, ex singulis præstare debeant aut pendere, ergo signum est ab initio esse utrimque conventum de certis semper servitiis vel canonibus. 5. Si licitum fuisset augere onera, Antecessores Domini satis attenti ad Jura & commoda sua, dudum auxissent, certum est enim esse prædia, quæ decies plus præstare possint, atqui non auxerunt, ergo. Ex dictis

§. 5. *Sequitur* 1. Proprietarios non posse Originariis plus imponere, quàm hæctenus hi soliti sunt præstare aut persolvere: Et ita Monasterii in Judicio aulico sæpius decisum est, adeoque rustici saltem ex sententia Jus habent, à qua non est efficaciter appellatum. Si tamen emoriatur una familia rustica, Domini Proprietarii sunt absolutè Domini, etiam utilitatis, possuntque elocare, etiam aucto canone, & qui acceptant, sunt tantùm conductores. Item si Dominus Proprietarius suis impensis adjecerit aliquid aut notabiliter melioraverit prædium, utique poterit exigere plus pensionis, secundùm proportionem adjecti quasi novi fundi, sed industria, & quidquid de suo contulit rusticus, non dat Proprietario Jus augendi canonem.

Sequitur 2. Si Titius emat à Cajo Proprietario prædium, illicitè & invalidè init novum contractum cum originario hujus possessore, ut majorem canonem pendat, quia Cajus non potuit vendere

dere Jus, quod non habebat, non habebat autem Jus augendi canonem, ergo. *Nec obstat* 1. Quòd Titius dederit fortè pretium, cui non respondeat interesse ordinarii canonis: *Nam* id imputet suæ ignorantia vel errori. *Nec obstat* 2. Quòd cum originario ineat novum contractum, & hic dicat se consentire: *nam* consentit involuntariè, vel quia ignorat Jus suum, vel quia timet depelli aut vexari, talis autem consensus non impedit, quin fiat injuria, secundùm dicta n. 4. 10. & 615. Imò etiam Posteris fit injuria per talem contractum & per consensum in illum.

Sequitur 3. Proprietarios injustè agere, si tunc, quando mortuo capite prædii agitur de divisione mobilium, vel de laudemio, vel de literis libertatis &c. plus exigant, quàm ferat consuetudo & usus Patriæ præscriptus in similibus casibus, attentâ ubique proportione.

Sequitur 4. Etiam injustè fieri, si rusticus, qui annuè pro canone debebat 20. & à Proprietario accepit v. g. 300. mutuos sub obligatione dandi annuè 4. pro cento, postea annuè cogatur solvere 32. veluti canonem prædii, nam canon prædii non est redimibilis, census autem de 300. erat redimibilis, fortè etiam refuso per partes capitali, ergo iniquum est per adjectionem ad canonem prædialem reddi perpetuum & irredimibilem. Adhuc major injustitia esset, si canones restantes, quos solvere non potuit rusticus, tanquam novum capitale ita adjicerentur originali canoni prædiali.

§. 6. *Opponi posset*, quòd Principes possint augere contributiones subditorum, ergo & Proprietarii originariorum. *R. N. conseq.* Id possunt Principes, ita exigente necessitate communi, Proprietarii
face-

facerent ob privatum commodum, quod illicitum est, tum ex se, tum ex vi primi contractus, uti §. 4. dictum est.

§. 7. De his videtur verum, quod scribit *Innocentius III. Papa L. 1. de contemptu mundi. c. 15. Servus ministrat, Angarius agitatur, plagis affligitur, opibus spoliatur: quod si non habet, habere compellitur; & si habet, cogitur non habere: culpa Domini servi pœna, culpa servi Domini præda, venatio Leonis onager in eremo, sic & pascua divitum, Pauperes. Adde, quod Nicolaus Lancicius Polonus Societatis JESU, vir libris scriptis clarus & cum fama sanctitatis mortuus, inter cetera documenta Comiti cuidam Bohemæ anno 1642. data habet, Tom. 2. Opusc. 13. Lib. 3. F. 327. Diligentissimè caveat, ne subditis ulla prorsus onera imponat, ad quæ ex prima eorum institutione non fuerunt obligati, sive ea sint in suscipiendis itineribus ad vehendas vel ferendas res aliquas, sive in laboribus domi vel in agris, sive in alendis canibus vel catulis, sive in contributionibus ad Domini adventum conferri nullo fure solitis, sive aliis modis, quia quodlibet tale onus, ad quod non sunt obligati rustici, ex prima eorum erectione, si sit æstimabile pretio unius ducati aurei, inducit peccatum mortale Domino, eumque obligat ad restitutionem, quam nisi faciat, si scit & potest, (uti potest) damnabitur in æternum. Hæc dixit Lancicius de Bohemis, apud quos durior est servitus, quàm in aliis partibus. Videri potest *Gasparus Rodericus de annuis reddit. Lib. 1. Quæst. 15. à num. 50. Item L. 2. Q. 33. à num. 56. ex quibus colligitur tales rusticos esse Emphyteutas.**

DUBI-

D V B I V M XIII.

Quid sit Sponsio & Ludus.

1067 **R**esp. Sponsio est contractus, in quo duo de veritate, aut eventu alicujus rei certantes sibi invicem aliquid spondent, ut id ejus sit, qui veritatem affecurus fuerit, v. g. certo tecum 10. Imperialibus, hanc vel istam civitatem obsessam, captam, &c. Ut licite fiat, requiritur, 1. Ut fiat super re dubia. 2. Ut sit æqualitas in re, quæ spondetur, cum æquali incertitudine. 3. Dubius eventus in utroque. 4. Ut uterque eodem sensu accipiat id, de quo certatur. *Molin. Tom. 2. Disp. 508. Less. L. 2. c. 26 D. 1. Lugo D. 31. S. 6.* Ludus verò est contractus, quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori cedat, quod uterque deposuit. Hi contractus Jure Naturæ liciti sunt, modò debitæ conditiones adsint, & aliunde non interveniat scandalum, aut justa prohibitio, aut iniquitas miscet, nec peccati sit occasio; quia sicut quivis suæ rei dominus, potest alteri eam donare absolute, sic etiam sub aliqua conditione, sive ea fortuita sit, sive ex industria pendeat. *Less. num. 3. Bonac. de Restit. in particulari D. 2. Q. 3. P. 1. Unde resolves:*

I. Qui rei dominus non est, aut alienare eam non potest, non potest etiam de ea ludere, aut deponere. Et sic deberet restituere, qui lucratus esset à Religioso, & filio-familias, non potente alienare. *Laym. L. 3. T. 4. c. 21 N. 5.*

II. Si tamen filius-familias (& idem de Religioso ait *Navar. apud Less. num. 27.*) alatur in distantio loco à Parentibus, poterit ex alimentis moderate aliquid insumere in honestum lusum, v. g. 5. ex 100. quia talis communiter præsumitur voluntas

luntas parentum, ut habet *Sotus, Less. l. c. Laym. n. 5.*
 &c. Ac præterea potest etiam filius deponere,
 quidquid lucratus fuerit, cum ad hoc etiam pa-
 rens censeatur tacitam facultatem dare. *Lay. l. c.*
Bon. p. 2. n. 10. & seq.

III. Tenerur restituere, qui vicit faciendo con-
 tra conditiones ludi, & decipiendo; aut fraude,
 ac per injuriam alterum pertraxit ad ludendum,
 ut v. g. si simularet se planè ignarum lusûs, & sic
 alterum multò imperitiorem provocaret, qui
 alioqui ludere noluisset; aut si convitiis laceffe-
 ret, ad quæ vitanda alter consensisset in lulum,
 aliàs non consensurus. *Mol. d. 517: Lay: n. 6: Bon:*
p: 2: n: 3: 6: & 9.

IV. Si in re, quæ spondetur, fit inæqualitas, &
 hæc alteri parti (v. g. cujus pecunia major est) fit
 nota, isque nihilominus spondere velit, valet
 contractus probabiliter, quia scienti & volenti
 non fit injuria, ut dicit. *Nav: man: c: 19: n: 18: Med:*
Sanch. consil. l. 1. c. 8. Dub. 13. Dian. Contrarium
 tamen probabiliter docet *Lugo n. 81. ex Mol. Less.*
 & *Bon. p. 1. n. 18.* Si autem ignora sit, non potest al-
 ter lucrari, quia non est æqualis conditio utrius-
 que, & alter nulli se exponit periculo. *V. Azor. p. 3.*
l. 5. c. 25. q: 7: Bon: l: c: Salas de Ludo dub. 13: n: 3:
Escob: & Lugo. loc. cit.

V. Per se quidem, & jure naturæ licita est eti-
 am sponsio de futuro eventu, qui damnum pro-
 ximi conjunctum habet, v. g. Petrum intra an-
 num moriturum; (etsi enim detur occasio optan-
 di, vel machinandi mortem Petro, id est per ac-
 cidens, potestque idem periculum esse in censu
 vitalitio) jure tamen humano sæpe prohibetur.
Lugo n. 74.

VI.

» VI. Etsi sponſio cum conditione illicita, v. g.
 » plus altero potaturum, ſit illicita, quia inducit ad
 » peccatum: quod tamen eâ lucratus es, non tene-
 » ris reſtituere. *Sanch. n. 45. Lug. Dian. p. 7. r. 9. R. 69.*

» VII. Probabile eſt, quod docet *Mol. &c.* dum
 » quis minis vel convitiis ad luſum inductus eſt, &
 » perdit, victorem non teneri reſtituere, quia talis
 » abſolutè voluntariè luſit. *Bon. l. c. & Garz. contra*
 » *Azor, Leſſ. l. c. Reg. Fill. &c. communiter.*

» VIII. Communior ſententia eſt, teneri reſti-
 » tuere eum, qui luſit, vel certavit, certò præſciens
 » ſe victurum eſſe. Contrarium tamen, nempe
 » non teneri, dummodo dolus abſuerit, tenet
 » *Tol. l. 5: c. 27: n. 9: & Sa V. Contractus*, quia non
 » tenetur ex juſtitia ſuam peritiam vel ſcientiam
 » adverſario declarare, ſed iſ ſuæ temeritati im-
 » putet, quòd auſus fuerit cum eo deponere, cujus
 » ſcientiam non nôrat. *Vid. Bon. num. 4. Dian. R.*
 » *62.*

» IX. Non tenetur reſtituere, qui utitur aſtutiis
 » illis, quas regulæ luſûs & conſuetudo recepta
 » patitur, cum uterque ſciat tales aſtutias eſſe ſo-
 » litas, & ſic tacitè in illas liberè conſentiat, *Azor,*
 » *Fill. Leſſ. n. 15. Bon. n. 1. v. g. 1.* Si potiores chartas
 » habens, & ſecurus de victoria, augeat ſponſio-
 » nem vel ſimulet metum, ut adverſarius augeat,
 » 2. Si ſciens inferiores chartas habere, diſſimulet,
 » augeatque ſponſionem, ut ſic relinquatur ſibi,
 » quod erat appoſitum, *Lugo n. 34. Sanch. Sal. Dia.*
 » *R. 43. 3.* Si inſpiciat chartas alterius, ex ſola
 » ipſius negligentia & abſque fraude; ſecus ſi ita ſe
 » collocet, ut poſſit videre; vel ſi alium conſtituat,
 » à quo

à quo admoneatur , 4. Si chartas à tergo discat²⁰
 nôsse inter ludendum , quas antè non signarat ,²⁰
 nec noverat. *Trull. to. 2. l. 7. c. 27. d. 2. n. 4. Sanch. dub. 20*
12. n. 9. & 10. Lugo, n. 37. & 38. Dian. R. 50. & 52. 20

X. Qui verò utitur fraudibus non adhiberi fo²⁰
 litis, vel colludenti ignotis, v. g. suffuratur chartas,²⁰
 vel signis à tergo notat, vel utitur notatis, aut iis,²⁰
 quas antè novit, ignorante socio, vel arte quâ-²⁰
 dam eas componit, &c. tenetur restituere, non²⁰
 tantùm lucrum, sed etiam quantùm alteri vale-²⁰
 bat spes lucrandi; imò etiam colludenti, *Regin. 20*
Amic. Trull. n. 3. Dian. R. 43. Vid. etiam p. 4. r. 3. 20
R. 75. & Bon. n. 6. & 7. 20

XI. Si ludens habeat animum non solvendi, vel²⁰
 si perdat, repetendi, non potest lucrari, atque a-²⁰
 deo nec retinere, quod est lucratus, quia fraudu-²⁰
 lenter decipit, nec alter vellet cum eo ludere, ni d²⁰
 sciret. *Less. n. 31. Reg. n. 388. Bon. l. c. 20*

XII. Peccant graviter, & communiter morta-²⁰
 liter, qui totos se lusibus tradunt, cùm sciant in²⁰
 gravia se inde peccata labi, aut impotentes reddi²⁰
 ad solvenda debita, vel alendos liberos & uxo-²⁰
 rem, &c. *Sanch. Trull. d. 1. 20*

XIII. Peccat item ludens, si lusus lege positivâ²⁰
 sit prohibitus, ut lusus alearum, & similes, qui²⁰
 magis in fortuna & casu, quàm industria fun-²⁰
 dantur. At Laicis ratione circumstantiarum sub²⁰
 veniali, Clericis sub mortali prohibentur. *Less. l. 20*
2. c. 26. n. 6. Intellige si Clericus crebrò, perque lon²⁰
 gum tempus luserit; non autem, si per breve tem-²⁰
 pus, & causâ recreationis, & absit scandalum,²⁰
 quia Canones id prohibentes non videntur re-²⁰
 cepti, nisi quatenus id fieret cum periculo scan-²⁰
 dali, ut habet *Less. dub. 1. Laym. l. 3. r. 5. c. 21. n. 1. No- 20*

»tat autem *Dian: p: 7: t: 9. R. 2. & 3* ex *Lug. n. 11.*
 »*Dicast. Amico, Trull. &c.* prædictis legibus per
 »contrariam consuetudinem ita derogatum esse,
 »ut non tantum Laicus, sed etiam Clericus non
 »peccet, si principaliter pro recreatione, & simul
 »pro lucro moderato ludat chartis, vel aleis. In
 »Religiosis tamen (apud quos disciplina regularis
 »viget) uti & Episcopis, à peccato gravi excusari
 »vix posse, *ib. R. 4. ex Mol. to. 2. disp. 521. num. 6.*
 »*Dicast. Lug. n. 12. &c.* etsi *Sanch. dub: 28: n: 9:* co-
 »netur excusare, si urgeat necessitas v. g. excitandi,
 »aut recreandi infirmum; vel si parum ludat ob
 »solam recreationem.

» XIV. Si quis ludo tali vetito lucratus fuerit,
 »juxta sententiam probabiliorem non tenetur ad
 »restitutionem ante judicis sententiam: quia jura
 »non annullant contractum nec impediunt ac-
 »quisitionem dominii, sed tantum concedunt, ut
 »possit repeti. An verò qui tali lusu perdidit, te-
 »neatur postea adhuc solvere, alii negant, ut *Less.*
 »*dub. 4. Mol. disp. 515. Reg. Fill. &c.* alii affirmant,
 »ut *Azor, Rebel. Val. &c.* apud *Bon. p. 3. n: 2: V: Dia:*
 »*p: 2: t: 17: R: 8: & p: 7: t: 9: R: 1.*

» XV. Ludere pro psalmo, vel oratione Domini-
 »ca recitanda, non est peccatum, nec irreverentia.
 »*Nav. man: c: 19: n: 7: Rebel: Sanch: Dia: p: 7: t: 9: R: 1.*

A D D E N D A.

1068 Q: 196: Quid præterea circa hos contractus sit no-
 tandum. *Rz. Sequentia, §. 1.* Eum, qui certus est de
 re vel eventu, posse sponfionem facere & lucrari,
 quamvis non dicat se scire, docent *Nav: Covarr:*
Tol: Hurt: Laym: & alii multi cum Dian: p. 7. t. 9.
R. 62. maximè si dicat se scire, aut alter advertere
 possit

possit eum scire, & tamen velit certare, quia tum nulla adest fraus, sed alter censetur resignare juri suo, uti cum pluribus tenet *Dian: R: 63*. Nihilominus *Mol: Garz: Lugo d. 31. num. 81.* & alii negant licere, etiam in casu, quo diceret se scire, quia hinc emitur spes lucri pro periculo amittendi, veluti merx pro pretio, ergo si nullum sit periculum amittendi, nihil emitur, ergo contractus est invalidus, sicuti si Cajus sciret gemmam esse falsam, etiam si Titius eam peteret emere veluti veram, vendi non posset pretio veræ gemmæ; hinc *Fill: t: 37: n: 24.* & *Spor: t. 6. c. 6. n. 86.* dicunt priorem sententiam esse satis probabilem, sed secundam magis justam & tutam, puto etiam probabiliorem esse.

§. 2. Si Cajus sit excellenter peritus, & nesciat 1069
Titium, cum quo ludit, esse ita imperitum, secundum communem cum *Diana R. 30.* potest Cajus sibi totum lucrum retinere, quia nulla intercessit deceptio. Si Cajus sciat se esse longè peritiorem, & Titius id sciens velit ludere, etiam nihil tenetur restituere Cajus, quia scienti & volenti non fit injuria, ita cum aliis *Sanch: in Conf. l. 1. c. 8. dub. 13.* *Dian. R. 29. & 31.* Si Cajus sciat se esse multò peritiorem, ideòque sit moraliter certus se lucraturum, Titius autem id nesciat, *Tol: Covarr.* aliique apud *Lugo num. 44.* & *Steph: t. 4. d. 9. à n. 47.* dicunt adhuc non teneri lucrum restituere, quod probabile putant *Salas & Diana R. 29. & Steph.* non audet improbabilitatis arguere, quia qui in lusu certus est de victoria, potest augere sponsonem & lucrari, ergo & qui ante lusum est certus, & quando dicitur debere esse parem conditionem ludentium, intelligi vult *Less.* non de paritate industriae

dustriæ vel notitiæ , sed partim legum servandarum , partim juris ad lucrandum & perdendum ; Communissima tamen est sententia , quòd in hoc casu teneatur restituere , quia ut contractus onerosus esset validus , debuisset ludens spem lucrandi emere periculo perdendi , uti habent *Lug. num. 81. & Spor. n. 67.* Et quidem teneri restituere totum , docet *Bonac.* quia est causa injusta totius damni : *Nec obstat* periculum , cui se exposuit , nam illud debet sibi imputare. Econtrà alii cum *Dian. R. 30.* dicunt ad summum teneri ad partem majorem vel minorem pro gravitate vel levitate periculi , quod subiit.

1070 §. 3. Si tres sint , qui sperent aliquid , v. g. officium , & *Cajus* pro 10. Florenis certet seorsim cum singulis , quòd non sint obtenturi , in hoc casu *Cajus* est certus se lucraturum à duobus & uni tantum esse perditurum , adeoque est certus de lucro 10. Florenorum , posse autem sic certare & sibi retinere hoc lucrum docent cum aliis *Sanch. dub. 16. & Lugo num. 87.* quia cum singulis est dubius de futuro eventu , ergo sicut potest cum quolibet perdere , potest à quolibet lucrari ; deinde singuli contractus seorsim essent liciti , ergo & simul , quia unus non impedit æquitatem alterius , neque ostendi potest , cujus è tribus jus læderetur. Agnoscit hanc sententiam esse probabilem *Dian. R. 64.* tenet tamen oppositam cum *Led. & Villal.* quia cum possit tantum perdere 10. & certò etiam lucratur 10. videtur hìc esse inæqualitas inter periculum fortis & spem lucri ; nihilominus prima sententia videtur satis probabilis , quia non est spes lucri tanti apud singulos , inter quos divisum est periculum.

§. 4. Peccat & tenetur satisfacere, qui est cau- 1071
sa, cur contractus sponsionis non compleatur,
v. g. Cajus certavit se citius curremum quam Titi-
um, si Cajus postea nolit currere, tenetur satis-
facere Titio, secundum spem lucri, quam habe-
bat, quia Cajus non stat contractu oneroso, cujus
obligationem suscepit, qui enim contraxit cursu
vincere, contraxit currere, ita *Az. Bonac. Fill. num.*
28. Dian. R. 66. quamvis videatur distinguere *Lu-*
gō n. 89.

§. 5. Si quis ludat principaliter propter lucrum, 1072
Abul. Abb. Gabr. Rich. Vega, Silv. Comit. damnant
peccati mortalis, quia tum principaliter concu-
piscitur res proximi & intenditur grave illius da-
mnum: sed passim omnes cum *Diana R. 1.* tenent
contrarium, quia licitum est concupiscere & lici-
to modo acquirere rem proximi, quod fit per
contractum ludi, qui justus est; *Nav. tamen Pa-*
norm: Beja p. 1. cas. 61. Alloz. V. Ludus. S. 2. n. 20.
& alii dicunt esse veniale, sed etiam hoc negat *Lugo*
n. 4. per se loquendo; posse tamen esse veniale, quia
est invertere finem ludi, qui est recreatio, & adest
species aliqua avaritiæ, uti docent nonnulli cum
Steph. n. 46. Admittunt tamen omnes nullum fore
peccatum, si quis ludat ad lucrandum, ut alicui ne-
cessitati subveniat.

§. 6. Secundum *Dian. R. 5. & 14.* potest filius- 1073
familias exponere lusui, quod parcius vivendo
reservat ex pecunia sibi ad victum missa: Docent
autem aliqui non licere illi totam summam, quam
potest lusui per annum perdere, unâ vice exponere
lusui, quamvis nollet toto reliquo anno ludere, si
eam nunc perderet, sed probabilius putant id eum
posse

posse *Sanch. cum Diana R. 10.* quia potest cedere juri aliâ vice ludendi, & nunc illud quasi anticipare. Quòd si aliquis uno tempore lucretur à filio-familias totam illam summam, quam toto anno potest exponere ad lusum, non tenetur inquirere, an jam potuerit illam totam perdere; nisi haberet consuetudinem etiam cum aliis ludendi, tum enim inquirendum esset, *Sanch. dub. 7. Lugo n. 22. Spor. n. 73.*

1074 §. 7. Si Titius non poterat exponere nisi tres Florenos in lusum, & lusit, ac si posset exponere sex, sicque primo jactu lucretur sex à Cajo, facit injuriam, & tenetur tres restituere. Si tamen ludat cum Cajo & Sempronio, ac singuli exponant tres, Titius suis tribus poterit uno jactu lucrari sex, id est, tres à singulis, quia suos tres etiam exponit duplici periculo jacturæ apud singulos, ergo æquum erat, ut luderet cum spe etiam à singulis lucrandi.

1075 §. 8. Si Cajus ludat pro se & pro Titio contra Sempronium, faciâtque hoc pactum, ut si perdat, Titius portet medium damnum, si autem lucretur, Titius habeat tantum tertiam partem lucri, *Sanch. dub. 23.* damnat hunc contractum, sed *Lugo n. 52. & Diana R. 36.* probabilius putant non esse universaliter damnandum, quia in contractu societatis, qui dimidium capitalis apponit, prætereaque operam & industriam, potest plus lucri reportare.

1076 §. 9. Quando neuter habuit animum unquam solvendi, tum decipiendo se mutuò compensant injuriam, ideòque qui vincit, potest retinere lucrum: item si lusor sciverit collusorem non habere animum solvendi, & tamen lusorit, collusor potest

potest lucrari & retinere, quia lusor censetur consensisse ac remittere, ita *Tambur. Sporer* num. 6.

§. 10. Si ludens apponat monetam malam, potest retinere, quod lucratur, si voluerit substituere bonam, in casu quo perderet; aliàs lucrari non posset, *Diana R. 25. cum aliis.* 1077

§. 11. Si bonâ fide ludas cum fure, & rem furtivam lucreris, teneris restituere Domino: Si autem lucreris pretium rei furtivæ à fure venditæ, potes hoc lucrum retinere, si fur ex aliis adhuc sit potens restituere, quia erat dominus hujus pretii, secundum dicta num. 961; si tamen perdito hoc pretio sit impotens restituere, tu videris teneri restituere, quia cum illud pretium necessariò fuerit à fure restituendum, illud non videtur potuisse ab illo validè exponi ludo, ita cum aliis *Bonac. Tamb. Sporer* n. 76. *Dian. R. 20*, quod videtur etiam dicere debere *Laym. Lib. 3. T. 4. c. 17. N. 30*, si impotentiam illam sciveris, quia (quoad executionem) cooperatus es injusto damno: Oppositum tamen velut probabile tenent alii num. 963. relati. 1078

§. 12. Quod lucraris pecuniâ furtivâ vel quomodocunque alienâ, est fructus industriæ vel artis, ideòque tuum, supposito tamen quòd habueris aliquid proprium, quod traderes, si collusor vinceret, alioquin contractus fuisset nullus, quia nihil exposuisses, quod ipse acquirere posset, ita *Mol. Sanch. Lugo* num. 13. *Sporer* num. 79. & alii contra *Trul. Villalob. Dian. Resolut. 19*, qui dicunt lucrum nequidem tum fieri tuum. 1079

§. 13. Qui injustè coactus ludit & lucratur, non tenetur restituere, quia ludus ex parte ipsius est justus, & omnem inæqualitatem sustulit injuria coactionis, *S. Thom. S. Antonin. Less. Laym. Sanch.* 1080

Dub. 11. *Lugo* n. 30. Similiter qui lucratur à collufore fraudes agente, nil tenetur restituere, *S. Th. Dian. Tamb.* n. 6. *Sporer* n. 66. Eum quoque, qui coëgit alterum ad ludendum, non teneri restituere, si lucretur, sustinent *Trull. Dicast. Hurtad. Dian. R.* 32, quia nec coactio illa nec ludus videtur fuisse causa damni, sed vel fortuna vel peritia ludentis, & si cogens perdidisset, debuisset solvere, hinc *inferunt* æquum esse, ut etiam portuerit lucrari; sed probabiliter contradicunt *Mald. Stephan.* n. 51. & *alii*, si coactio fuit injuriosa, ex hac enim debetur compensatio damni secuti; si tamen ad ludendum adduxerit tantum per importunas preces, ordinariè non tenebitur restituere, quia nec fecit injuriam nec causavit involuntarium, uti tenent *Lessius* & plerique alii cum *Diana R.* 34. contra *Nav. Silv. Sanch.* Dub. 9. n. 6, qui tamen fatetur oppositam sententiam esse satis probabilem & tutam. Quòd si victus cogat vincentem, ut ulterius ludat, & victus receptis amissis alia adhuc à collufore lucretur, *Adr. Tol. Mol. Garz. Alloza* Sect. 2. N. 24. dicunt non teneri restituere, nisi ad summum hæc postrema, quam sententiam ut probabilem admittunt *Lessius* & *Diana*; sed resolutio pendet inde, an victus habeat Jus ex more iustis cogendi vincentem ad ludendum ulterius, si enim Jus non habet, videtur fecisse injuriam cogendo, adeoque teneri de damnis inde secutis.

1081 §. 14. Si ludens fecit fraudem, & in absentia fraudis eventus ludi fuisset dubius, debet restituere lucrum, & quidem solum, uti putant *Lugo* n. 33. & *Steph.* n. 46, quia deceptor est in possessione rei suæ, ad quam nullum certum titulum habet deceptor; *Mol.* tamen dicit etiam aliquid ipsi deberi de

de illo, quod exponebatur ad luſum, ſi probabilius erat ipſum fuiſſe lucraturum, quia hæc ſpes lucri erat æſtimabilis, & ipſi per injuriam fuit ſublata. Qui autem dubitat, an per fraudem lucratus fuerit, tenetur reſtituere ſaltem hoc, quod alter appoſuit, quia cùm neſciat de juſto titulo illud in ſe transferendi, alter manet in poſſeſſione.

§. 15. Si Cajus per fraudem lucratus erat 10. Florenos à Titio, & Titius hos iterum lucretur à Cajo, Cajus tenebitur adhuc illos primos 10. reſtituere, ſi Titius lucratus ſit aliâ vice ludens cum eo, quia hic ſecundus ludus eſt alius contractus, ex vi cujus debetur novum lucrum; è contrâ ſi in eodem ludo iterum perdat, *Armil.* putat nil teneri ultra reſtituere, quia hoc tantùm dicitur lucrum, quod in fine ludi reportatur, & *Sanch. Dub. 19. N. 5.* aliique dicunt eſſe probabile, ſed oppoſitum tenendum eſt cum *Lugo n. 39. Dian. R. 51.* aliisque communiter, quia quot novi ſunt jaçtus, tot ſunt novi contractus, quibus uterque debet poſſe perdere & lucrari, Titius autem hic non poſſet lucrari alienum, ſed tantùm perdere vel recipere ſuum ſibi aliunde debitum. *Confirm.* Nam ſi Cajus furatus eſſet Titio, & iterum perdidiffet, adhuc teneretur reſtituere, ergo & nunc, quia quod ita fraudulentè habet, furto habet.

§. 16. Si pactum fuerit, ut qui plùs lucraretur, ſolveret chartas, candelam & hauſtum, Cajus verò lucretur per fraudem, tenetur totum reſtituere, nec poteſt ſubducere illas expenſas, ſed ſibi imputare debet, aut procurare, ut hoc fiat, quod factum fuiſſet, ſi nullus eſſet lucratus, uti rectè *Lugo num. 41,* licèt aliter ſentire videantur *Trull. & Diana Reſolut. 54.*

Tt 5

§. 17.

1084 §. 17. Licitum est non monere Adversarium de errore, v.g. si non rectè numeret sua puncta, & ideo perdat, quia ludens tenetur ipse attendere ad suum negotium, & Leges lusuum permittunt errores, *Sanch. Dub. 14. Dian. R. 44.* Item licitum est non admonere, si concedat primam in ludendo manum; si tamen tu illam tibi non debitam prior quasi de Jure usurpes, & ideo vincas, *Sanch. Dub. 15. Dian. R. 45. Alloza Sect. 1. N. 21.* te obligant ad restituendum, quantum valebat Jus illud præeundi: Similiter teneris restituere, si dixeris te habere plura puncta, & alter non advertens id crediderit, quia hic est fraus facta, *Dian. R. 47.* Idem est, si alteri non advertenti minus solvas, quam perdideris, *Diana Resolut. 53.* Item si à tergo tui collusoris habeas speculum, in quo chartas ejus videas, quia talis deceptio est etiam insolita. In dubio autem, an aliqua deceptio sit contra Leges lusûs nec ne, standum est judicio viri in tali genere lusûs periti, uti cum communi notant *Sanch. Dub. 12. Lugo n. 33.*

1085 §. 18. Si Cajus non ludens inspexerit viles chartas Titii volentis per auctionem deterrere Sempronium à lusu, & Cajus tacitè moneat Sempronium, ut non deterreatur, & Sempronius ludat ac vincat, distinguendum est cum *Bonac. Sanch. Dub. 17. Diana Resolut. 42.* & aliis communiter, nam 1. Si Sempronius ante monitionem decreverat non ludere, tenetur Sempronius, & in hujus defectu Cajus restituere omnia, quia acquisivit per injuriam. 2. Si Sempronius ante monitionem decreverat ludere, nihil est restituendum, quia monitio Caji se habuit per accidens ad damnum. 3. Si Sempronius dubitabat, an vellet ludere necne, dicunt communiter AA. Sempronium, & in ejus defectu Cajum teneri restituere tantum partem pro ratione

ne dubii. Alii contradicunt, quia fraus & monitio Caji fuit prior causa injusta & adæquata damni, quia totaliter determinavit Sempronium ad ludendum, ergo videtur saltem Cajus ex hac antecedente injuria obligari restituere totum, uti teneor ad totum, si fraude induxerim Petrum in dubio hærentem, an vellet vel nollet benefacere Paulo, item si Petro prior injustè intulerim damnum, licet Petrus ipse illud sibi postea fortè intulisset. Videri possunt dicta n. 218, est enim similis ferme ratio. 4. Si post monitionem adhuc fuit dubius eventus ludi, *Sanch.* dicit non esse obligationem restituendi, quia Sempronius per monitionem non fuit constitutus in tuto, sed contradicunt alii, uti antè, nam si Sempronius per monitionem motus est ad ludendum, Cajus fuit causa injusta ludi, ergo manet obligatio compensandi totum damnum ex ludo secutum.

§. 19. Secundùm *Saa v. Ludus.* n. 1. non est peccatum ludere ludo prohibito, si fiat moderatè causa recreationis, aut ex alia causa honesta, putat enim tunc cessare rationem Legis. Et saltem eum, qui ludit ludo per civile solùm Jus prohibito, non peccare, docetur communiter; idem dicit cum aliis *Lugo* n. 9. respectu Laicorum de lusibus Jure communi Canonico prohibitis, quia Leges hæ apud Laicos per contrariam consuetudinem sunt abrogatæ, *Navar. Sanch. Less. n. 6. Stephan. num. 49.* Talem autem lucrantem ludo per Legem adhuc vigentem prohibito teneri restituere in foro conscientia, docent *S. Th. S. Bonav. Silv. & alii*, sed communissimè contradicunt alii, inter quos sunt *Alens. Sot. Med. Adr. Covarr. Mol. Trul. Dicast. Sanch. Dub. 1. Less. L. 2. c. 26. N. 17. Dia. R. 2. Tambur. in Decal.*

Decal. L. 5. c. 4. §. 1. N. 11. *Sporer* n. 81, quia jus positivum præcipit restitutionem tantum post sententiam Judicis, unde non debetur, licet petatur extrajudicialiter, uti cum aliis notant *Sanch. & Diana* R. 22. potest tamen victus terrere victorem de accusando, & sic pacisci de parte restituenda: Quod si fictè tantum minaretur, nolens accusare, *Sal. Mol. Lugo* n. 72. *Alloza* f. 1. n. 9. putant eum non esse tutum, sed *Less. Tambur. Spor.* alique cum *Dian.* R. 28. dicunt esse tutum, quod probabile esse fatentur *Sanch. Castrop. Trull. Dicast.* quia revera habet jus repetendi, quod pretio æstimabile est, illi autem juri cedit pro data parte, ergo dolus videtur justus.

1087 §. 20. Qui credito ludit ludo prohibito & perdit, de jure naturæ obligatur solvere, uti contra *Dian.* R. 21. & alios docent alii multi apud *Lugo* n. 70. (qui à n. 67. cum aliis multis docet sic lucrantem posse retinere, si ei solvatur, quamvis solvens nesciverit solutionem posse negari, quod etiam fatetur *Dian.* R. 24.) Ratio est, quia contractus ille ludi jure naturæ est validus, nec jure positivo irritatur, quamvis victus possit se etiam in Conscientia tueri exceptione legis, quæ non est merè in pœnam victoris, sed etiam in favorem victi, ut solvere non teneatur, ita *Nav. Tol. Mol. Less. Laym. Lugo* n. 70. & pluribus d. 22. à n. 30. & ratio ulterior est, quia secundum dicta n. 677. cui jus dat actionem repetendi, eidem etiam dat exceptionem, antequam solvat, ad quid enim in hoc casu esset solvere hoc, quod statim potes repetere? unde cum retinere meam rem & datam recipere æquivalent, non erit injustitia, inquit *Tamb.* n. 11. & *Spor.* n. 83. alterum modum commodiorem absque inutili circulo eligere: hinc L. 2. ff. De compensatione dicitur,

tur, Interest nostrâ potius non solvere, quàm solutum re-
petere.

§. 21. Quando ludis lusu prohibito cum animo 1088
repscendi per Judicem, quod perdes, *Mol. Regin.*
Dicaft. Less. n. 31. dicunt te teneri restituere, si lucre-
ris, quia facis dolum dantem causam ludo, & po-
nis inæqualitatem, sed *Sanch. dub. 5. Lugo d. 31. n.*
53. Spor. n. 84. aliique cum Dian. R. 25. probabiliùs
dicunt ludum esse validum, & retineri posse lu-
crum, quia intentio adimplendi non est de essen-
tia contractuum secundùm dicta n. 608. ergo licet
absit, ludus est validus, in reliquo vult uti jure suo
& beneficio legis concedentis exceptionem, alter
autem sibi imputet, quòd cum tali ludat. Neque est
inæqualitas, quia etiam alteri competit simile be-
neficium legis, si perdat.

§. 22. Si victus antecederet promiserat non re- 1089
petere per beneficium legis, potest nihilominus
postea repetere, uti notant *Rebel. Salas, Less. Dia. R.*
26. Lugo n. 65. quia omnis ludens promittit irrevoc-
cabiliter solvere, & tamen lex vult, ut non obstan-
te promissione solvendi, possit non solvere; si ta-
men illa promissio fieret post factam solutionem,
teneret, quia esset veluti nova donatio indepen-
dens à ludo. Quòd si jurârit non repetere, stare de-
bet juramento, secundùm dicta n. 727. dicunt ta-
men *Nav. Covarr. Tol. Valent. Vega, Henriq. Salas*
& *Diana* suprâ posse petere relaxationem jura-
menti, & hac obtentâ non solvere, sed meliùs ne-
gant *Sot. Mol. Rebell. Less. Lugo n. 66.* quia hoc jura-
mentum confirmat illum contractum, secundùm
dicta à n. 732. ergo facit, ut alter acquirat jus stri-
ctum ad solutionem, Superior autem non potest
relaxare juramentum in præjudicium tertii, uti n.
746. dictum est.

§. 23.

1090 §. 23. Si victor sine vi vel fraude impediatur, ne à Judice condemnetur ad restitutionem, v. g. pure negando se lusisse, donec probetur, omnes communiter dicunt non peccare: Si tamen de hoc interrogetur à Judice, *Less.* n. 21. & *Lugo* n. 64. dicunt teneri fateri, quia lex non est pure pœnalis sed dispositiva, & Judex habet jus interrogandi, sicque impediendi, ne Cives nimio ludo depauperentur; *Mol. Sanch.* aliique cum *Dian. R.* 27. dicunt non teneri fateri, si probari non possit; sed prima sententia est probabilior.

1091 §. 24. *Az. Mol. Salas, Rebell. Castrop.* aliique cum *Dian. R.* 3. dicunt non prohiberi Clericis unâ aut alterâ vice ludere, sed tantum consuetudinem, seu ut ne fiat sæpe & diu, uti ex aliis notat *Steph.* n. 49. Imò *Saa & Valent.* contra *Salas & Castrop.* excusant etiam consuetudinem à mortali, si fiat recreationis causâ: Prohibitio autem extenditur ad solos Clericos in Sacris constitutos vel ratione Beneficii gestantes habitum, uti docent *Caj. Less.* aliique cum *Steph.* Putat quoque *Salas* non extendi ad Religiosos laicos, quia textus habet de Clericis tantum, communis tamen cum *Nav. Suar. Valent. Castrop. &* aliis habet, quod etiam ad illos extendatur, & saltem Religiosos in Ordine aliquo ab ejusmodi lusibus abhorrente merito damnant *Lugo Dicast. &* alii apud *Dian. R.* 4.

1092 §. 25. Olla fortunæ est jure naturæ licita, nam per dationem certæ pecuniæ emitur spes lucrandi, v. g. scyphum argenteum, & periculum cum proportionem utrimque æquale, ita cum aliis *Pirh.* l. 5. tit. 19. n. 50. Ludum autem agitationis tauro- rum prohibuit *Pius V.* sub excommunicatione, sed *Greg. XIII.* sustulit excommunicationem; & nunc
fi

ſi fiat ſine periculo, putant licitum eſſe *Nav. Saa* n. 3. *Alloza* S. 2. n. 30.

§. 26. Aſſiſtere ludo, qui cum peccato mortali 1093
fit, per ſe loquendo, non eſt peccatum, niſi adſit
ſcandalum, vel aſſiſtens cooperetur aut delectetur
ipſo ut peccato, non autem ſi delectetur ipſo ut
ludo, ita *Saa* num. 4. *Allox.* num 31. Aliqui apud
Dian. R. 41. excipiunt Clericos & Religioſos, quibus
ſub excommunicatione dicitur id prohibuiſſe *Pius*
V.

§. 27. Ludere in Eccleſia ludos, qui ſpecialiter 1094
in ea non ſunt prohibiti, per ſe loquendo, non eſt
peccatum niſi veniale, ſi fiat ſine cauſa; ſufficit ta-
men honeſta recreatio pro illis, qui, v.g. in Eccleſi-
am confugerunt, *Caj. Nav.* aliique cum *Dian. R.* 38.

§. 28. Si quis teneat domum ludo illicito expo- 1095
ſitam aut instrumenta ſubminiſtrét, peccat morta-
liter, uti & Princeps permittens, ita *Dicaſt.* aliique
cum *Dian. R.* 39. & pluribus p. 2. t. 15. R. 65.
Ratio eſt, quia quamvis iſta ſint de ſe indifferen-
tia, tamen ſic fit directè & proximè cooperatio
ad blaſphemias, dilapidationes, rixas aliáque,
quæ ibi ſunt, non aliter ac ſi quis ſubminiſtraret
gladium occiſuro. Unde ſi hîc ludant non poten-
tes ludere, v.g. Filii- familias, vel fraudem agentes,
putat cum aliis *Sanch.* dub. 21. hos hoſpites obli-
gari ad reſtitutionem tanquam cooperatores ad
injuriam.

§. 29. Si Titius ludat cum pacto, ut ſi vinca- 1096
tur, legat pro victore Miſſam, ſi autem vincat, ha-
beat florenum, hoc damnant multi, & *Lugo* n. 5.
dicit poſſe eſſe periculum ſimonix; ſed nec eſſe
ſimoniam nec illicitum docent *Rodriq. Portel,*
Boneſp. Dian. R. 41. *Steph.* num. 53, nam non ideo

res

res spiritualis æstimatur temporali, sed offertur executio rei spiritualis loco temporalis alioquin tradendæ, quæ commutatio licita est, si enim tibi debeam 100. aureos, licitè offero 100. Missas pro te legendas, ut sic te moveam ad remittendos centum aureos.

Ad quid teneatur, qui juravit non amplius ludere, dictum est P. 1. à n. 452.

De Sponsione doctè agit Onnate D. 131. Sect. 3. De Sortibus, Sect. 4. De Ludo, Sect. 5. & seqq.

D V B I V M XIV.

Quid sit Contractus Societatis.

- 1097 **R** *Esp.* Is est, cùm aliqui inter se conveniunt, & contributis aliquibus rebus ad lucrandum idoneis, sive fructiferis, ut pecuniâ, animalibus, industriâ, labore, &c. commune aliquod lucrum faciunt; quod, uti & damnum, pro ratione, & rata cujusque dividunt inter se. *V. Less. L. 2. c. 25. D. 1. Laym. Lib. 3. Tract. 4. c. 20. Bonac. Tom. 2. de Contract. Disp. 3. Q. 6. P. 1.* Unde spectando id, quod ratio & Justitia naturæ hinc requirit, *resoluntur hi Casus:*
- » I. Plus lucrari debet, qui confert pecuniam & operam suam, quàm qui vel pecuniam, vel operam solam confert.
 - » II. Capitale seu fors, quam quivis contribuit, si pereat casu, vel culpâ sociorum levissimâ, contribuenti perit: ubi discrimen est inter hunc contractum, & mutuuum: quia in mutuo fors data alienatur, & dominium ejus transfertur in mutuatarium, cujus proinde solius periculum ac damnum est, si casu pereat:
- in

in societate autem, qui sortem confert, eam non omnino alienat à se, & uti commodum ac lucrum ad eum spectat, sic etiam periculum & damnum.

Bonac. P. 3. N. 3. & 12.

III. Potest tamen etiam fieri in hoc contractu, ut quis justè servet sortem suam indemnem, & insuper certum lucrum percipiat, si nimirum ad contractum societatis adjungantur duo alii, assurationis, & venditionis, cujus tale exemplum ponit *Laym.* Inis societatem cum mercatore, & contribuisti ei 100. florenos v. g. spes est, quòd is quotannis lucraturus sit 300. cujus lucri dimidium v. g. jure societatis tibi debetur unà cum sorte; sed quia ad te quòque pertinere deberet ejusdem sortis periculum, ut ipse id periculum in se suscipiat, & tibi sortem assicuret, in hujus oneris compensationem, relinquis ei majorem partem lucri sperati, ut scilicet duæ partes lucri ad ipsum, & tertia ad te pertineat. Et rursus, quia spes lucri hujus incerta est, ideo adhuc partem hanc lucri sperati, nempe 100. florenos in spe, vendis etiam eidem 50. vel 60. v. g. annuis certis, & in re, & sic tandem id lucrum facis, & sortem servas indemnem, *vid. Laym. & Bonac. ll. cc.*

IV. Societas etiam in pecoribus validè & licitè instituitur: Et interdum quidem ita, ut tam pecora ipsa, quæ alteri pascenda & nutrienda traduntur, quàm emolumenta & fructus, ipsaque detrimenta & damna danti & accipienti communia sint; interdum verò ita, ut pecorum dominum, ideòque etiam periculum, sive casus fortuitus, spectet ad solum dantem; emolumenta autem fructuum, nempe foetûs, lanæ, lactis, spectent ad utrumque. *Vid. Less. & Laym.*

Tom. III.

Vv

ADDEN-

A D D E N D A.

- 1098 Q. 197. Quid hic præterea sit notandum. & Seqq.
 §. 1. Ad contractum societatis requiruntur hæ præcipuè conditiones, 1. Ut fiat in negotiatione honesta & licita. 2. Ut singuli aliquid in commune conferant, sive sit pecunia sive opera sive industria. 3. Ut expensæ, lucrum & dâmina sint communia & æqualia secundùm proportionem illius, quod in commune confertur. Potest tamen societas fieri, non ad lucrum, sed ad solum usum, uti si studiosi in eisdem ædibus habitantes ad communem usum conferant libros, hic talem, iste alium. Specialia autem circa societatem Officiorum, quæ præsertim in Curiis à quibusdam initur, videri possunt apud Lugo d. 30. S. 5. & Less. in auct. V. *Societas Officiorum*.
- 1099 §. 2. Si Cajus det Titio 10. gallinas, eo pacto, ut singulis diebus reddat unum ovum, & teneatur numerum integrum gallinarum servare, adeoque si una moriatur vel eripiatur, substituere aliam, *Med. Rebell.* & alii cum *Alloza V. Societas* n. 43. putant hunc contractum esse injustum, quia Cajus habet lucrum certum, Titius autem totum periculum sortis, & præterea onus alendi gallinas; sed *Lay. l. 3. t. 4. c. 20. n. 4. Castrop. d. 8. p. 6. n. 2.* & alii probabilius dicunt posse esse justum, quia periculum compensari potest per plures fructus, uti rectè *Covar. l. 3. Variarum. c. 2. n. 4.* onus autem alendi compensatur per longè plura ova à reliquis gallinis habenda.
- 1100 §. 3. Expensæ à conferente operam factæ in mercibus deportandis, in itineribus pro societate factis, in ægritudine ex societatis negotio orta; item dâmina ob ipsam formaliter societatem causata sine culpa, v. g. per fures vel latrones, spectant ad omnes,

omnes, uti habetur l. 52. §. 4. ff. *Pro socio*, docentque communiter AA. cum *Lugo* n. 28. & 31. *Castrop.* p. 7. Et non debere detrahi æstimationem illarum expensarum, quas socius ille domi faceret, docent *Nav. Mol. Less. Laym. Saa, Castrop.* n. 2. quamvis contradicant *Silv. Ang. Arm. Maj. Rebell. Lugo* n. 39.

§. 4. Si Cajus contulit pecuniam, Titius verò 1101
operam, & valor operæ erat æqualis valori pecuniæ, probabile est etiam pecuniam postmodum debere dividi inter ipsos, alioquin esset inæqualitas, opera enim perdita est in bonum utriusque, ergo videtur æquum, ut & sic perdatur pecunia, *Mol. Less. Lugo* n. 16. Si autem Titius conferat operam in valore pecuniæ minorem, adhuc putant multi finitâ societate hanc pecuniam esse dividendam, sed etiam probabiliter negant *Fach. Rebell. & Castrop.* p. 3. qui hoc ipsum videntur, dicere, etiam si valor operæ fuisset æqualis, quia quando contrahentes aliud non exprimunt, censentur velle tantum communicare usum & commoditatem illorum, quæ conferunt, non autem proprietatem, sicuti qui ad negotiationem confert navim, confert tantum illius usum non autem proprietatem, hinc navis post societatem remanet ipsius, aliter autem poterit attingi æqualitas etiam quoad pecunias, uti ostendit ipsemet *Lugo* suprâ.

§. 5. Si pecunia, quam solus Cajus contulit, 1102
pereat, *Saliz.* & alii absolutè dicunt jacturam debere ferri ab utroque æqualiter, alioquin qui industriam affert, minori se periculo exponeret; *Maj.* & alii dicunt, si pecunia pereat ante operas exhibitas, jacturam debere æqualiter ferri, si autem post, debere ferri à solo Cajo, quia opera jam est impensa loco pecuniæ; *Covarr.* & alii dicunt jactu-

ram tum esse æqualiter ferendam, quando industria æquivalerat usui & proprietati pecuniæ, si autem æquivalerat soli usui, ferendam esse à solo Cajo: denique *Gl. Bart. Bald. Silv. Rebel. Less. Castrop. p. 4. n. 4. Alloza n. 16. Illf. t. 4. d. 2. n. 454.* aliique plures probabilius dicunt soli Cajo esse ferendam, nisi aliter sit conventum, quia æquum est, per se loquendo, ut illi soli pereat pecunia, qui erat ejus dominus, supponitur enim aliter statuta æqualitas secundum spem lucri & periculum damni.

1103 §. 6. Si finito negotio nullum sit lucrum, *Fill.* putat ex pecunia capitali debere saltem solvi valorem operæ, sed negant *Mol. Less. Lugo n. 24. Burgh. cent. 2. cas. 96.* quia sicut si pecunia periisset, soli ejus domino periisset, ita opera perit illi soli, qui eam confert, & secundum hos AA. societas fit solum ad lucrum.

1104 §. 7. Contractus societatis dissolvitur, 1. Mutuo consensu sociorum. 2. Renuntiatione unius ex illis, non tamen ante tempus in pacto determinatum. 3. Publicatione bonorum alterius socii. 4. Cessione bonorum propter contracta debita. 5. Elapso tempore, pro quo societas constituta. 6. Re, in qua fundabatur societas, integrè vel magna ex parte intereunte. 7. Morte socii, si tamen negotium cœptum nunc finiri posset sine sociorum præjudicio, alioquin hæres teneretur concurrere. Videri possunt leges citatæ apud *Illf.* num. 456. Vide etiam *Mol. tr. 2. d. 414.* An pactum, quo fors & lucrum affequantur, sit justum, videri possunt dicta hinc n. 876.

DUBI-

Quid sit Assesuratio & Fidejussio.

Resp. I. Contractus assesurationis est, quo quis¹¹⁰⁵
alienæ rei periculum in se suscipit, obligan-
do se, vel gratis, vel pro certo pretio, ad eam
compensandam, si perierit. Quod si gratis fiat, est
gratuita promissio; si pretio, est quasi emptio, quâ
assesurans vendit suam obligationem, præstandi
alteri rem ejus indemnem. Ad ejus justitiam re-
quiritur, ut eventus rei sit incertus utrique, sal-
tem quoad notitiam, quam de eo habent, quia
alioqui non servaretur æqualitas. *Bon. to. 2. de contr. d. 3. q. 9. p. 3. Less. lib. 2. cap. 28. dub. 4. n. 24. Unde
resolves:*

I. Si assesurans certus sit rem esse in tuto, ini-
què pretium petit, & tenetur restituere. *Less. ibid. n. 3.*

II. Si res nondum est in tuto, etsi privatâ scien-
tiâ sciat non fore periculum, licere nihilominus
pretium ordinarium assesurationis accipere, di-
cit *Less. n. 27.* quia illa obligatio, ob pericula ordi-
naria magni æstimatur: & causæ occultæ, quæ
periculum minuunt, non imminuunt commu-
nem æstimationem. Verùm id *Bon. n. 3. & Lugo
d. 31. f. 7.* rectiùs negant.

III. Si cupiens rem suam assesurari, cer-
tam jam periisse, non potest pacisci de ejus assesu-
ratione. *V. Less. n. 25.*

Resp. II. Fidejussio est contractus, quo quis
alienam obligationem suscipit incipiendam, si
debitor principalis non solverit. Ita communi-
ter Doctores. *Unde resolves.*

I. Pro fidejussione licet accipere pretium, etsi
nullum periculum timeatur, quia ex se pretio

est æstimabilis. *Nav. man. c. 17. n. 283. Azor p. 3. l. 11.*

c. 22. d. 5. Fill. tr. 38. n. 159.

II. Mulieres ex fidejussione (saltem si juramentum absit, & instrumentum publicum) non tenentur, uti nec Clerici, nisi quatenus solvere commode possunt, ut non egeant, *V. Lay. l. 3. tr. 4. c. 29.*

n. 5. & 6. Bon. p. 2. Less. d. 2. Onnate D. 52. Sect. 6.

III. Fidejussor non obligatur plùs quàm principalis; & hujus obligatio si sit invalida, erit etiam fidejussoris, *Lugo disp. 32. n. 5. & c. communiter.*

IV. Fidejussor regulariter non potest conveniri, nisi factâ excussione principalis debitoris, constet ipsum non esse solvendo, *Azor l. c. V. notandum. Fil. n. 153.*

V. Debitor tenetur de omni damno suâ culpâ accidente fidejussori, & c. *Vid. Azor. d. 10. Bonac. p. 1. n. 14.*

VI. Ex fidejussione Religiosi propriâ auctoritate facta Monasterium non obligatur, nisi quatenus in ejus utilitatem versum est. *V. Less. n. 20. & Laym. n. 7.*

VII. Qui fidejussit pro reo, cui periculum capitis impendebat, si hic aufugit, non est ejus loco plectendus, quia non præsumitur sic se obligare; imò nec potest, cum non sit dominus vitæ, *Sylva Bon. n. 10. Less. n. 41.*

VIII. Si debitor suâ culpâ non solvit, tenetur fidejussori, qui pro ipso solvit, non tantum ipsum debitum, sed etiam damna & expensas omnes compensare. Si verò sine sua culpa, v. g. ob impotentiam non solvit, ad solum debitum viderur teneri. *Az. Syl. Sa, Bon. n. 14. Trull. 10. 2. l. 7. c. 26. d. 2. n. 6.*

A D D E N D A.

1106 Q. 198. Quid præterea notandum sit. *R. Seqq. §. 1. Quam-*

Quamvis AA. communiter dicant fidejussorem de se esse pretio æstimabilem, uti n. 890. notatum est, adeoque pro ea posse accipi aliquid, si tamen absit omne periculum & molestia, probabiliter contradicunt *Covarr. Bonæsp. Steph. t.4. d.9. n. 142. Moya t.1. t.6. d.4. q.6. à n.22.* quia difficulter ostendi potest disparitas, cur etiam mutuum non sit similiter futurum de se æstimabile, adeoque; cur etiam non possit pro eo accipi pretium. Si dicas, obligationem mutuantis compensari per redditionem sortis, obligationem autem Fidejussoris non compensari per aliquid, *Contrà est 1.* Quia non obligatio mutuantis, sed carentia sortis datæ compensatur per redditionem sortis. 2. Si fidejussor sciat nullum esse periculum vel molestiam, obligatio illa nullum affert onus, ergo nihil aptum est compensari. Vide *Gasp. Rodericum de annuis rediv. l. 2. q. 12.* qui nobiscum sentit. Videri potest etiam *Onn. d.52. à n.23.*

§.2. Creditor potest acceptare moderatum pretium, ut fidejussorem liberet à fidejussione periculosa vel molesta, quam suscepit pro debitore, *Mol. Saa, Roderic. n. 17. Alloza V. Fidejussio. n. 15.* Fidejussor autem potest, non quidem ordinariè, uti rectè *Castrop. d. 6. p. 26. §. 3. n. 5.* attamen aliquando cogere debitorem, ut eum à fidejussione liberet, v. g. si debitor fuerit potens solvere & non solverit, si incipiat dilapidare bona sua &c. *Lugo d.32. n.20.* Vide *Roderic. q. 13.* Econtrà Creditor compelli non potest, ut habito uno fidejussore admittat alium, sicuti compelli non potest, ut loco prioris hypothecæ admittat aliam, quia habet jus standi primo contractu, *Roderic. q. 12. n. 25.* Si tamen creditor admiserit alterum fidejussorem, liberatur primus, *Castrop. §. 2. n. 5. & 6.* Quòd si creditor proroget

tempus debitori, pro quo Cajus fidejufferat, si Cajus indefinite fidejufferat & non ad tempus tantum, pergit obligari, si autem fidejufferat, v. g. ad annum, cum anno cessat ipsius obligatio, sicuti si fidejuffisses pro capitali, non obligaberis ad interesse, quia obligatio non extendit se ultra conventionem, ita cum aliis *Azor* p: 3: l: 11: c: 22.

1108 §. 3. Si fidejussor, quando constituebatur, erat idoneus & potens, postea autem deficiat, debitor non tenetur substituere alium, quia reliquum periculum fidejussionis, uti & hypothecæ, est penes admittentem, *Bart: Surd: Castrop: n: 1.*

1109 §: 4: Successor non obligatur fidejussione sui Antecessoris, nisi sit hæres, vël ille in officio, v. g. Decani, constitutus fidejusserit cum consensu & nomine Capituli, *Mol: Saa, Alloza* num. 10. Dubitatur autem, an obliget fidejussio facta pro minorenni, aliqui cum *Saa V. fidejussio. n: 6:* negant, quia minorennis non potest se obligare; alii affirmant cum *Alloza n: 13;* quia secundum dicta *n: 671: & 679.* potest se saltem in conscientia obligare, & aliter potest hanc obligationem suscipere: Item aliqui affirmant, alii negant fidejussorem teneri solvere debita, antequam à Judice cogatur, *Saa, n: 8.*

1110 §. 5. Si plures in solidum fidejusserint pro aliquo, quilibet excipere potest contra creditorem, ne solus conveniatur, sed ut etiam alii cogantur stare pro parte: quòd si unus coactus fuisset solvere totum, posset à creditore petere jus agendi contra alios, uti ex jure ostendit *Lugo* à n. 15. Videri potest *Onnate* d. 4. f: 15. Item totâ disp: 52: & 53, ubi hætenus dicta & multa alia accuratè habet de fidejussione. De assécuratione autem agit disp: 131. f: 2.

DUBIUM

D V B I V M XVI.

Quid sit Pignus & Hypotheca.

Resp. Pignus est contractus, quo debitor dat²² 1111
 creditori rem aliquam mobilem vel immo-²²
 bilem, ut sit pro debito obligata, ex eaque solutio²²
 peti possit: Aliquando tamen pignus accipitur²²
 pro ipsa re, quæ datur. Differt autem ab hypothe-²²
 ca, quod pignus propriè sit rei mobilis; illa im-²²
 mobilis, *Mol. Fil. Bon. de Contr. d. 3. q. 10. p. 1.*²²
*Unde resolves.*²²

I. Pignore non licet uti contra voluntatem²²
 domini: quia est res aliena, ad securitatem tantum,²²
 & non ad usum tradita. *Bon. l. c. ex Mol. Regin.*²²
 & c. Si tamen utatur v. g. equo vel agro, debet va-²²
 lorem usûs (utî & fructus omnes, si sit res ex se²²
 fructifera) computare in sortem, deductis expen-²²
 sis; quia alioqui committet usuram, cum res do-²²
 mino suo fructificet. *Nav. man. c. 17. n. 203. Bon.*²²
*Trull. l. 7. c. 26. d. 4. n. 22.*²²

II. Non possunt oppignorari, quæ non possunt²²
 vendi, v. g. Ecclesiæ, *Mol. d. 530. Less. l. 2. c. 28.*²²
*d. 7. Bon. n. 5.*²²

III. Immobilia, utî & mobilia pretiosa, cultui²²
 divino dicata, v. g. calices, casulæ & c. non pos-²²
 sunt oppignorari, nisi in necessitate; (quia tunc²²
 etiam vendi possunt,) ut Ecclesiæ & indigentibus²²
 subveniatur. *Vid. Nav. n. 205. Less. Bon. l. c.*²²

IV Creditor, qui pignus ab aliquo accepit, po-²²
 test illud alteri oppignorare, sed non pro majore²²
 quantitate: Neque potest vendere debitore non²²
 solvente, nisi post biennium, & eo prius monito:²²
 Quidam tamen dicunt, posse vendere post trinam²²
 monitionem. *V. Laym: l. 3. t. 4. c. 30. n. 5. Bonac: n. 9:*

» V. Eandem rem non licet oppignorare seu in
 » hypothecam dare pluribus, nisi sit sufficiens ad
 » solvendum omnibus; vel posteriores de priorē
 » hypotheca admoneantur. *Azor Tom. 3. L. 7. c. 7.*
 » *Fill. Bonac n. 9. Trull. num. 15.*

» *Queres.* Quid sit contractus Anti-chriseos,
 » germanicè ein Pfandschafft.

» *Resp.* Is est, cum in contractu pignoris conve-
 » nitur, ut creditor utatur pignore, v. g. agro, ac
 » fructus inde tamdiu lucretur, donec debitum
 » ipsi restituatur: unde circa hunc ex supradictis
 » resolves:

» I. Contractus hic videtur juxta *Cajetan. Sotum,*
 » *&c.* (contra quosdam Juristas) esse usurarius,
 » quia creditor ultra sortem aliquid lucratur, causâ
 » solius mutui, quæ est Usura. *Vid. Laym. c. 36. n. 17.*

» II. Possunt tamen intervenire tituli justi lu-
 » crandi fructus ex pignore, sinè diminutione sor-
 » tis; ut si v. g. fructus ex hypotheca percepti non
 » superent quantitatem pensionis, quæ Jure censûs
 » super eadem constituti exigi potest, cum pacto
 » redhibitionis, uti suprà dictum est de *Censibus*:
 » aut si alioquin lucrum cesset, aut damnum emer-
 » gat, dum debitum differtur: unde non facilè da-
 » mnandi sunt illi, qui à Principibus in locum de-
 » bitorum agros, pascua, officia, &c. in anti-chrisin
 » habent. *Vid. Laym: loc: cit: & Binsfeld, de Usuris,*
 » *Mol. Less. &c.*

A D D E N D A.

1112 *Q: 199: Quid circa hos contractus sit prætere a no-*
tandum. R: De pignore & hypotheca accuratiffi-
mè scripsit Onnate D. 66. & seqq. qui pro occur-
rentibus dubiis gravioribus videri poterit. Pro
praxi quotidiana accipe hæc pauca.

§. 1.

§. 1. Si agrum incultum accepisti in pignus, & illum coluisti, *Sot, Saa, Alloza v. Pignus. n. 8.* putant te posse frui fructibus, non computando in sortem quia videntur fructus tuæ industriæ, sed dicendum est cum *Navar: Mol: Garz: Lop: Bonac:* de contract. D. 3. Q. 10. P. 1. N. 10. debere computari in sortem, sunt enim fructus naturales agri, ad quem tantum accessit tua industria; poteris tamen expensas & pretium laboris subducere. Addit rectè *Bonac. n: 7,* si rem meliorasti, aut in agro tibi oppignorato ædificasti domum, etiam hæc addita cadere sub pignus, quia accessorium sequitur principale; equus autem pignori datus est alendus expensis debitoris, qui manet ejus dominus, & cui etiam fructificat.

§. 2. Si oppignoretur castrum, cui Jus præsentandi ad beneficia sit annexum, hoc Jus non oppignoratur, sed manet Domino; si tamen castrum vendatur, Jus Patronatus transfertur in emptorem, & ita statuunt Jura apud *Lugo D. 32. num. 27.* Si autem res oppignorata varietur, quod de illa manet, etiam remanet oppignoratum, v. g. si domus comburatur, fundus manet obligatus; si silva, obligatum manet solum, imò & ligna silvæ, si quæ superfint, fructus enim rei simul dantur in pignus: Si tamen ex istis lignis fiat navis aut aliud arte factum, Jura disponunt, ut desinat oppignoratio, *Bonac: num. 7.*

§. 3. Si pignori adjectum sit pactum, ut vendatur, nisi certo tempore redimatur, elapso eo tempore vendi potest, etiam non monito debitore, *Gloss. Navar. Azor & alii;* quod tamen res valet supra debitum, restitui debet debitori. Quòd si conventum esset, ut pignus non venderetur, *Saa, Vasquez & alii* putant non posse vendi, quia fides data est servanda,

vanda, ubi servari potest, sed *Azor*, *Regin.* & alii communiter putant posse vendi post trinam admonitionem, quia hæc est natura pignoris, alioquin frustra datum esset, hinc conventio tantum obligavit ad non vendendum absque præviis admonitionibus, *Bonac.* num. 12.

1115 §.4. Quamvis contractus anti-chriseos Jure Civili toleretur, tamen Jure Canonico reprobatum velut usurarius, uti notant *Cajetan: Sor: Navar: Mol: Lug: Laym: Sporer de Usura.* n. 101, & certum esse dicit *Castrop: D. 4. P. 19. N. 20.* Ratio est, quia mutuans non fit dominus pignoris, ergo iniquum est, ut ex eo fructus capiat; imò *Vasq: Sal: Castrop: n. 4:* dicunt etiam illos fructus esse Domino compensandos, quos ex culpa lata & levi colligere omittit, quia tenebatur addere diligentiam tanquam prudens & vigilans custos. Possunt tamen accedere tituli excusantes, præter enumeratos à *Busenbaum*, uti 1. Si res oppignoranda vendatur pro debito, cum pacto retrovendendi, tamen secundum limitationem datam num: 982, nec redimi debet nimis parvo pretio, alioquin præsumetur Usura, *Lugo D. 25. N. 132.* 2. Si marito aliquid fructiferum detur in pignus pro dote uxoris, uti definit *Innocentius III. Cap. Salubriter. De Usuris*, tum enim fructus illi constituuntur in partem dotis necessaria ad alendam uxorem & ad sustinenda onera Matrimonii, aut saltem sunt aliæ causæ hoc honestantes, de quibus videri potest *Castrop: p. 205* atque ideo etiam posse pro interesse certam summam in compensationem exigere, docent *Nav: Mol: Lug: Lay: Less: L. 2. c. 20. n. 142. Beja p. 1. cal. 56. Sporer n. 102.* 3. Si feudum Domino Proprietario oppignoretur, uti habetur *Cap. 1. De Feudis*,
&

& Cap. Conquestus. De Usuris, traduntque Auctores communiter cum *Castrop.* P. 22. N. 1, tenetur tamen remittere servitium vel pensionem, cujus loco fructus ei à Jure subrogantur: quomodo autem hoc excusetur ab Usura, disputat *Castrop.* à num. 2. Idem dicunt Auctores communiter de emphyteusi, si Domino detur in pignus, ratio potest esse, quia quando pignus transfertur ad Dominum proprietatis, licet Vasallus & Emphyteuta non amittat dominium suum utile, (alioquin non esset datum in pignus) tamen dominium illud est ligatum, & censetur consolidari cum dominio directo, ac proinde fructus omnes Domino comperunt; simile tamen nihil statuunt Jura, neque habet consuetudo, si res usufructuaria, usuaria vel conducticia detur Domino directo in pignus, uti notant Auctores communiter cum *Castrop.* n. 6.

§. 5. Obligatio pignoris & hypothecæ solvitur 1116 multis modis, 1. Si creditori sit satisfactum pro debito: 2. Si tempus sit elapsum, ad quod acceptata erat obligatio: 3. Si res obligata sit alienata cum consensu saltem tacito creditoris: 4. Si creditor emerit rem obligatam: 5. Si creditor saltem tacite significaverit rem sibi non esse obligatam: 6. Si Juxta absolverit debitorem à debito, vel jusserit extrahi rem: 7. Si debitor offerat creditori solutionem debiti, quam si nolit acceptare, poterit debitor eam coram testibus deponere apud hominem fidelem vel in Loco Religioso, & rem obligatam resumere: 8. Si prius debitum transferatur in aliam obligationem, *Bonacina* Punct. 2. An Emphyteuta possit rem emphyteuticam subicere hypothecæ, dictum est n. 1059.

CAPUT